GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [1] - -

Leibn. Marg.

0, 1

Randnoten von Leibniz

KM.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [2] - -

DE PRÆMIIS DISSERTATIO,

Quam Annuente DEO, *& Ampliſſimo* J. C^torum *præluſtris hujus Academiæ Collegio;*

Solitum præſtante patrocinium,

Chriſtophoro Beſoldo, Anteceſſore celebratiſſ. & Patrono meo plus quàm benè merito, ſollemni diſquiſitioni in Aulâ novâ ſubjiciam,

Menſe Auguſto:

Fridericus Richardus Mockhel, Tubingenſis.

PRATEJUS.

Noſtri hodiè pœnas habent, ac varia tormentorum genera adverſus malos: ſed præmiorum apud pleroſque adeò nulla eſt ratio, ut mercem viliſſimam pluris æſtiment, quàm omnes bonarum literarum uniones. Quid hoc, rogo, eſt aliud, quàm alteram Reip. partem utcunque curare, alteram eamque maximam prorſus negligere?

TUBINGÆ,
Excudebat Eberhardus Wildius.
ANNO CHR. CIↃ IↃC XX.

12
Angeh
11
2
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [3] -

A TRESILLUSTRE ET TRES-EXCELLANT SEIGNEUR ET COMTE; MONSEIGNEUR LOUYS EBERHARD, COMTE de Hohenloë, & Seigneur de Langenbourg, &c.

MONSEIGNEUR. Ie ne doubte nullement que ce ne ſoit un des heureux effects du Deſtin, qui a faict naiſtre tout à un meſme inſtant, en Voſtre Excellence le bon vouloir de me commander, & en moy un treſardant deſir de la ſervir. Deſtin, qui, ayant eſgard aux rares & parfaictes qualitez de V. E. faict rougir mon peu de merite, & ſurpaſſe l'attente de mes voeus, dont le plus ambitieux eſtoit, d'avoir l'honneur des commandements d'un galant Seigneur & Maiſtre; qui doüé d'un ſolide jugement, ſçache diſcerner ma ſincerité naifue d'avec les flatteries fardées d'autruy, & qui ayant ſondé l'integrité de mon affection, me donne aſſez de ſubject pour ſignaler ma fidele ſervitude. Auſſi puis je aſſeurer V. E. que dés l'heure que i'ay recogneu ceſte ordonnance du Ciel, ie n'ay rien eu tant en recommandation, que l'induſtrieuſe recherche de toutes occaſions, pour manifeſter jusques où la force de mon devoir me pouſſe. Et ce eſt ceſte meſme paſſion qui me tranſporte maintenant de telle ſorte, que franchiſſant indoubitablemẽt les bornes de la bienſeance, & oubliant la face de ce temps, i'oſe preſenter à V. E. ce petit diſcours, qui ſortant de l'Eſcole, il eſt impoſſible qu'il n'en garde touſiours quelque gouſt. Mais ramentevant, qu'auſſi bien au faict des Armes, les plus braves Cavaliers avant que de les empoigner, ne meſpriſent pas les Academies, pour s'y exercer preallablement, en tout ce qui leur ſçauroit apporter de la grace & de l'advantage à les traicter puis apres avec tant plus de valeur & de gloire; i'en tire ceſte ferme eſperance, que combienque ce diſcours ne ſoit pas ſi relevé & grave, qu'il merite la faveur d'un Grand, qu'il ſera pourtant accepté comm'l Exercice d'un eſprit, lequel mis en oeuvre, pourroit acquerir peu à peu plus de luſtre, & aider un jour à maintenir en ſa fleur, la tranquillité & bien, tant de la perſonne de V.E que de ſon Eſtat. Dieu m'en face auſſi bien la grace, que i'ay la volonté reſoluë d'y contribuer tout le reſte de mes jours; leſquels i'eſtimeray avoir heureuſement employez, lors que la verité forcera meſmes les plus envieux de me dire

MONSEIGNEUR

de Voſtre Excellence,

le plus affectionné treshumble
& treſobeiſſant ſerviteur,

FEDERIC RICHARD MOCKHEL.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [4] - -

I.

Dissertationis

DE

PRÆMIIS PRODROMUS.

NIL magis ornat aut firmat Remp. aut conservat Imperium, quàm servata Justitia, inquit Imperator Justinianus, *in princ. Novellæ 163.* Hoc vero vinclum & uti Lipsius vocat, coagulum humanæ societatis, Philosophi divisione nec à JCtis alienâ, in duas secant partes; Justitiamque aiunt esse vel Distributivam vel Commutativam; cujus posterioris quamvis maximus sit in vitâ communi usus, nemo tamen ambigit illius principes esse in jure nostro partes, exerentis utpote vim suam in utráque studii hujus positione, Publico & Privato. *Lib. 1. monit. cap. 9.*

2. Et iis quidem ad privatorum quæ jus propriè & solùm spectare videntur, silentio impræsentiarum involutis, summus eius ac præcipuus coruscat usus, circa cardinem non Juris saltem scripti, sed omnis generaliter Politiæ, quem ut convenientem præmiorum & pœnarum definio audacter distributionem; sic privata tam, quàm publica attingere Jura, eâdemque omnem penè prædictæ Justitiæ absolvi administrationem, haud hæsitanter adstruo, authoritate *l. 1. §. 1. de I. & I.* *V. Wesemb. in parat. de J. & J. n 12. Vult l. 1. Jurispr. 2. n. 30.*

3. Quem admodum enim ille verus Rerump. omnium existit finis, ut per Civilem gubernationem (ejusmodi utpote societatis animam & vitam) Multitudo seu Communitas rectè instituta, benè beatéque vivat; ita Justitiæ Sacerdotum prima hæc est & unica cura, ut bonos non solùm metu pœnarum, verum præmiorum quoque exhortatione efficere cupiant cives: universalem illam tum demum gustaturi totius corporis felicissimam harmoniam, si & pœnarum comminatione singulorum prius præcaveant peccata, & animos ad virtutem præmiorum accendant promissione; fræno scil. utentes & calcaribus, haud secus ac ij equos qui regunt. *4 Polit. 11.* *La riforma tutta del presente secolo, fia poste in queste poche parole, premiar i buoni & punire gli scelerati. Boccal. cent. 1. Ragg. 77. p. 346.*

4. Cum quippe mentibus mortalium veri boni naturaliter inserta sit cupiditas, omnis eorum cura diverso quantumcunque procedens calle, id tamen conatur adipisci seriò; sic, ut omni voluptatis percipiendæ aut lucri

cri sublatâ spe, Naturâ verum quod dixi Bonum magis arrideat, quàm fictitium; nemo enim tantum à naturali lege desci vit & hominem exuit, ut animi causâ malus sit; sed ad id devius plerunque error, falsa quædam utilitas, & fallax

V. Boët. lib. 3. de consol phil. prof. 2. Thom. à Kempis, de imit. Christi. lib 3. cap. 54.

Terrenas hebetans libido mentes

abducit, animusque caligante memoriâ velut ebrius, domum quo tramite revertatur ignorat. Quam ob causam prudentiores omnium seculorum Politici, Fundamentũ ac basin Rerump. statuerunt Præmia & pœnas: iis non tàm ut cogantur cives, quàm proprius ut juvetur naturæ instinctus, sollicitenturque homines ad virtutem, incertam aliàs adituri fortunam.

Guicciard. Assert. Polit. 13.

5. Sic etenim nobiscum comparatum est, ut nostrum semper, tenui licet imagine, somniemus principium, verumque illum Politicæ Beatitudinis finem, licet minimè perspicaci, qualicunque tamen cogitatione perspiciamus; acita pessimi quique, sceleratis etiam actionibus, non levia & ludicra præmia, sed summum in quo adquiescant appetant Bonum, nemoque gratuitò nec bonus nec malus sit. Quod autem perpauci ad id pervenire possunt, ad quod omnes naturalis ducit ac pœnè compellit intentio, in causa est; quod maxima mortalium pars, circa ipsam rerum summam verticemque aut insciti, bonorum errat, aut aliàs transversum libidine rapta, deficit.

6. Omnia ergo in Justitiæ Templo decenter peregisse sacra ille dici potest Politicus, qui egregios invitans præmiis mores, malos è contra pœnis coërcens, id efficit, ne multiplex cives error ab illius seducat tramite Boni, ad quod naturalis eos ducit per diversissimas quamvis semitas, inclinatio. Hocq; solum esse medium, tùm ad singulorum, tùm ad universalem illam Civilium societatũ pertingendi felicitatem, & sapientiæ illi Oraculo Soloni, & præcellentissimis quibusque placuit Legumlatoribus. Præmiorum siquidem & pœnarum appositâ florente distributione, floret etiam Resp. Fortibus vero viris & malis congrua si non reddantur, eam diuturnam fore sperandum non est: graviores cum Civitatum motus, periculosiores seditiones, cruentiora bella civilia, frequentiores Rerumpub. interitus, concitârit nihil, hujus quàm supina neglectio. *Bod. 5. de Rep. 4.*

V Guicciard. lib. 2. Hist p. m. 48. Conestag. de Portug. & Cast. coniunct. lib. 8. & 9.

7. Nec ideo mirari debemus, Theophrastum quidnam vitam humanam conservaret scisciatum, respondisse; beneficentiam, honorem & pœnam: cum Ciceronis etiam judicio, nec domus nec Resp. ratione quadam & disciplinâ designata videatur, si in eâ nec rectè factis præmia extent ulla, nec supplicia peccatis. Sicque duabus corporis naturalis summè necessariis partibus, nervis videlicet & venis, haud absonè hæc quis comparaverit,

Stob. serm. 41.

3. de Nat. Deor.

paraverit: quorum alterum in officio quemvis contineat, alterum suâ merentes irriget virtute.

8. Quamvis enim rerum quæ geruntur, illud propter quod unaquæque geritur, eiusdem rei præmium esse non injuriâ videri possit, & virtuti dignitas propria insit, quam protinus in eos quibus fuerit adjuncta, transfundit; acita verum eiusdem præmium in solâ facilitate, & jucunditate ex eius quæ percipitur exercitio, consistat; nihilque agnoscat, nisi per & propter ipsammet solam quod fit. Oderunt quippe peccare Boni virtutis amore, bonisque ac sapientibus illa ipsa magnum per sese præmium esse videtur: cum rectè factorum primus semper maximusque fructus esse debeat, feciſſe. Lucrum, ut elegantissimè loquitur Imper Justinianus, *Novell. 1. cap. 2. in fin.* non tantum in percipiendo, sed & solummodo piè agendo habemus; nec quasi mercimonio contracto pietatis officium gerendum. *l. 3. C. de inf. expositis.* Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat sed gloriæ. Non vis esse justus sine gloria? At mehercules sæpè justus esse debebis, cum infamiâ; & tunc, si sapis mala opinio benè parta delectat, inquit Seneca. Duo tamen hic notanda veniunt. * Unum est; triplex virtutis alumnum quemvis exspectare præmium. 1. ab immensâ Dei O. M. clementiâ. 2. à semetipso, quod rectè factorum conscientia est. 3. A Republicâ, de quo in sequentibus. Alterum est; sublimem illam, vel ut rectius dicam perfectam & genuinam secundum virtutem Actionem, eiusmodi esse abstractum, quod in concreto cernere, proh dolor, haud facilè liceat, & eam ipsam qui affectant, spe Boni alicuius allectari. † *Tous sont gens de bien par occasion & par accident.* h.e. Non nisi per accidens probi sumus; nec ulla jam virtus gratis, & ob suam pulchritudinem colitur; sed unaquæque suis præmiis conciliatur hominibus. *Icon Animor. Euph. c. 15. V. Gruter. part. 3. Florileg. pag. 546.*

9. Nam sicuti Gratiæ est, nil temporale quærere, nec aliud præmium quàm Deum solum pro mercede postulare. Ita Natura totum agit propter lucrum & commodum proprium: nil gratis facere potest; sed aut æquale aut melius, aut laudem vel favorem pro benefactis consequi sperat: ac multum ponderari sua gesta & dona concupiscit. Sicque quæ egregiè unquam gerimus, semina facientibus nobis videntur Gloriæ, agro injecta æternitatis, qui fructus sempiternæ ferat memoriæ. Licet enim nulla nos vanitatis hujusce, super æthera meliore nostri parte latos, titillare amplius queat voluptas; hoc attamen nobis videmur lucrari, ut in hoc opinionum & mortalitatis fluctuantes Oceano, usum fructum quasi dulcis hujus percipiamus spei, & propriis adulemur jucundissimâ futuri repræsentatione

V. Eccl. lib. 4. prof. 3. & lib 3.

Montaig. au. 2. des Essais, chap. 36.

Dios llueva en los desiertos, en los arenales, en los pedregales, como en las tierras que pueden dar diezmo; porq. aprendan los hombres à exercitar las virtudes, sin mas fin que del hazer bien. Ant. Perez. en las cart primer. p 120.

* *V. Ad Keller. de de Off. Juridicopol. lib. 3. c. 5.*

† *Charron au 1. de la Sageſſe. chap. 39.*

Thom de Kempis d. l. 3. cap. 54.

Lib. 10. Instit. Orat. c. ult.

tatione affectibus. Adeò inquit Quintilianus, præmium omnia spectant, ut eloquentia quoque quanquam plurimum in se habeat voluptatis, maximè tamen præsenti fructu, laudis opinionisque ducatur. Et ut paucis tandem multa dicam; Togæ sagoque cuncta spectant præmium; sicut Hispanis in proverbium abierit, Che sin merced impossible es obrarse bien ninguna cosa.

Comme le Prince n'ayme, aussi n'est il servi sans dessein. Del Seran del P. Matthieu. p. 20.

10. Ast hoc ipsum neminem cum latere possit, ne in Antalcidam quendam & ego incidam, justamque eius incurram reprehensionem; Argumento huic (quo vix ullum in Rep. disputatione feracius aut utilius esse, Disciplinæ Politicæ perhibet restaurator Bodinus) longius texere satagens præconium, largiori de ejusdem excellentiâ disserere contextu prætermitto. Et cum illud primum censeatur Sapientiæ munus, patenti via populum ad virtutem ducere, cupidinem honesti conciliare animis, facere vitiorum odium; ac ii demum correctionis sint compellendi medicinâ, quos laudis non provocant exempla: Unde illud; Legibus delicta puniuntur, quanto melius provideri ne peccaretur, *&c. Cum item JCtorum sit, non tantum de Jure privatorum, verum & de publico respondere, in utroque æquum ab iniquo separare, licitum ab illicito secernere, æquè de summorum honorum aliorumque Præmiorum collatione, ac de Pœnarum tractare irrogatione; nemo ut opinor reum me cujusquam aget culpæ, si qui etiam ambio Sacratissimæ Justitiæ mancipare me Sacerdotio, alterius quibus eadem constat membrorum, quod in malorum constitit coërcitione; quodque tot ac tantas Interpp. Juris nostri exercuit pennas, delineationi, alterum illud, quod in Bonorum occupatur remuneratione, alto quondam planè involutum silentio, hodiè Politicis ferè relictum, præferam: idque leviter & crassiore pertractando Minervâ, ipsas Leges politico quandoque dijudicem judicio.

Impp. in l. un. C. de emend. propinq.

* *Tacitus.*

V Templ. Just. D. Præsid. sect. 66. 67. &c.

11. Quod tamen antequam aggrederer, hic in limine certiorem te facere visum fuit, Benigne Lector quisquis es, haud me ignorarà, veram rerum Politicarum cognitionem ita à judicio vulgari etjam cætera felicis ingenii alienam esse, ut de jisdem hiscere nemo debeat; nisi Prudentiam illam humanæ vitæ principem ac moderatricem, non tantum præceptis, † verũ etiam ipso rerum gerendarum usu partam, adeptus sit, nisi rerum gestarum veritatem, ab ipsis Principum archivis acceperit, nisi denique omnem in Regnorum gubernationibus, Principumque negotiis contriverit ætatem: cum viri docti judicio, in Academiis nemo solidè eruditus evadat, & tanta vix existat distantia inter cœlum & terram, nec tanta sit diversitas colorum hiveri & nigri, quanta inter Practicam imperandi

† *De' pensieri de' Prencipi, non si puo mai discorrere con essatezza di verita: perciochè a guisa del mare, l occhio nõ ne vede mai tanta parte, che l occulta non sia di gran lunga maggiore. Filip. 1. Resoluciones de Reyes, Reyes menester que la entienda, como quien se entienden, pues*

perandi,& Theoriam traditione præceptorum & arcanorum Politicorum quæ occupatur, ut cum prudentiſſ. Trajano Boccalini loquar; cujus qua inter alia hæc de re facit verba, propter tum elegantiam, tum gravitatem non potui non huc exſcribere. Non havendo (inquit) la Politica Theorica da poterſi far di eſſa una grammatica, che altrui inſegni l'arte di ben governare gli ſtati, tutta ſta poſta nella pratica, della quale quei, che non l'hanno appreſa nelle ſecretarie de' Prencipi grandi, e ne' conſigli di Stato per non far ſi ridicoli al mondo, quando dicono coſe degne di ſtaffilate, non devono mai ragionarne.

pareſce que tiene mas del Arte del offiçio, que de la Naturaleza. A. Perez. d. l. p. 102.

Cent. 1. Ragg. 76

12. Attamen in ſcholis diſcere debemus, non quæ in ſcholis ſaltem proſunt, & quæ nos æternis catenis ad ſcopulos Pœdagogii affigunt; ſed quæ ingenuum civem ad Rempub. in partibus ejus ſibi credendis gubernandam aptum reddunt. Et ego itaque ſiin præluſtri hâc Præmiorum materiâ, propoſiti ſic efflagitante ratione, quædam attingam, Regulas, vel ſi mavis Arcana Status quæ redolere videri poſſent, non præcepta me tradere, ſed ſcrutari, non decidere ſed diſſerere, imò nec ſuadere ſemper, ſed tuo ſaltem ea ſubmittere judicio, ejusque ſic tentare vadum, credas firmiter: Faventiæ tuæ dulcem adſpirare auram tum mihi perſuadebo, ſi Catonianâ mihi parcens cenſurâ, & cognoſcendi & ignoſcendi adferas animum, errantique viam veritatis commonſtres benivolè. Nec enim ingenii mei, judicii humani in hoc Vanitatis theatro incertitudinem (Dei gratiâ) probè agnoſcentis, ea eſt conditio, ut vel hoc vel quovis alio in ſubjecto, ullam reſpuat correctionem, nec ex iis ſum, qui ne vel unquam videantur erraſſe, errant ſemper.

Dn. Præſes de' Jurisd. quæſt. &c

CAPUT PRIUS.

In quo præmiorum definitio, diviſio, & per ſingulas ſpecies enumeratio.

13. Præmia remunerationes ſunt Bonorum, ad augendam fidei obſervationem publicitus factæ. *Arg. l. 131. §. 1. de V. S. iunctâ l. 1. C. pro quibus cauſis ſervi pro præm.* Eorumque idcirco venire nequeunt nomine, tum beneficia ſimpliciter ſic dicta, quæ ex meræ ſcaturientia plerunque liberalitate, præclarè geſta antecedunt etiam; tùm Aulici favores alii, ad ingeniorum gratitudinisque tentamentum, ac in pœnam quandoque ut ſcil: in altum prius evecti, lapſu graviore ruant, collati: tùm denique inter privatos ſolùm factæ, eodem quamvis inſignes nomine, ſive laborum retributiones, ſive donationes, quales ſunt de quibus in *l. 7. ff. Mandati. l. 10. de Pollicit. l. 1. ubi Gl. & t. t. ff. de Proxeneticis. l. 2. §. ait Prætor. ff. de his qui notant. infam. l. 24. C. de don. inter, vir. & ux.* ac ſi alibi uſquam.

Ant. Perez. in cart. poſter. p. m. 16.

14. Ex

14. Eæ vero remunerationes, quamvis vel solùm Honore revera definiri posse videantur, cum uti virtute nihil sublimius, ita omnem ea contemnet meritò, præter Honoris, † vitam utpote mortalium animantis, coronam; cujus cupiditas quibus innata est, illi sunt, qui plurimum à pecudum naturâ differunt, ac viri planè, non homines duntaxat existimantur: * nulla enim voluptas humana videtur ad divinam accedere propius, quam ea quæ ex honoribus percipitur delectatio; † hocq; unum est quod præstantes quidem naturâ mentes, sed nondum ad extremam manum virtutum perfectione perductas allicere possit, gloriæ scil: cupido, & optimorum in Remp. fama meritorum.

Ang. Aret. in præf. Instit. & Gothof. ad Auth. Habitâ. C nesil. propat. lit. K.

† La honrra el Alma desta vida. *Perez. Aph. 81.*

**Xenoph. in Hier.*

† *Boët. lib. 2. pr. 7.*

E benche d' alma valorosa e bella
L' honor sia poco pregio, è pero quello
Che si puo dar maggiore,
Alla virtute in terra. — *Pastor. Fido. Atto. 4. Sc. 3.*

Celest. Actu. 2. in pr.

Et ideo Deo etiam Opt. Max. non nisi honorem retribuimus, cum eo nil majus habeamus.

15. Nihil tamen obstabit, quin cum Piccolomineo, præmium in rectè institutâ Rep. constituamus duplex: Vnum principale, in solo positum honore. Dignitas enim etsi onus tantum afferat, tamen Dignitas est. *l. ne quis. 38. in f. ibique Gl. C. de Decurion.* Alterum secundo loco & ex eventu optandum, ob humanas indigentias & imbecillitates; quod in pecunia vel aliâ consistit utilitate. Nisi quis cum Accursio *ad l. 6. in pr. ff. Mandati.* Honoris vocabulum sumere malit, pro quavis donatione seu remuneratione, ideo quod honor sit ei, cui datur; quod ego illæsâ famæ tanti viri authoritate, haud facilè admiserim: cum quamprimum opes in honore habentur, verus rerum intereat honos.

16. Hujus autem varia sunt symbola, prout vel vivis vel mortuis, aut tam his quam illis; & inter vivos rursum vel servis conferuntur vel liberis. Et servos quidem quod attinet, iis libertas est proposita, tanquam res inæstimabilis: § *fin. I. quibus ex causis manum. non licet. l. 106. l. 176. §. 1. de R. I.* & quâ gratius nihil servo præstari potest. *l. 39. in f. de fideic. libert.* Eam autem præmii loco, ex SCto Silaniano, consequitur; si ad accusationem ultrò prosiliens, cædem Domini arguerit. *l. 3. §. si ex stipulatu. 13. & §. seq. l. 12. ff. de SCto Silan. l. 5. qui sine manum. ad lib. perveniunt. l. 4. de bonis libert. l. 1. C. pro quibus causis servi pro præm. libert. accip.* Item si monetarios detulerit. *l. 2. C. d. t.* Et quamvis regulariter indicia servorum contra Dominos, admittenda non sint: *l. 1. §. 16. l. 9. §. 1. de Quæstion. l. 2. §. Imperator. de Iure Fisci.* hâc tamen, ut & vix aliis certis ac receptis ex causis,

sis, adversus Dominos servis consistere permissum est. *l. 1 §. quid autem 8. de officio Præf. Vrbi, l. 53. de Iudiciis.* Quod ad solas Majestatis læsæ causas restringunt. *l. pen. C. de his qui accus. non possunt. & l. 6. C. de Delator.* Ab illis enim rescriptis, quibus promiscuè dominos confessione servorum gravari statutum fuerat, recessum esse, constitutiones posteriores ostendunt. *d. l. 1. §. si servi. 19. de Quæst.*

17. Eodem porrò Juris afficiuntur præmio servi, si raptorem detexerint: *l. 3. C. pro quibus causis servi.* & si desertorem militiæ prodiderint. *l. fin. C eodem.* Si item mulierem quæ cum servo suo rem habebat, quis eorum detulerit, & crimen probaverit. *l. unica. C. de mul. quæ se propr. serv. iunx.* Nec est quod quem moretur formidolosus textus *in l. neque servo. 7. C. d. Delatoribus.* Is etenim ab Anthonio Augustino in lucem productus, & Codici ab Interpp. insertus, exiis est constitutionibus, quæ tanquam apocryphæ, Jus certum ut reliquæ, quæ olim habitæ sunt in vulgatis libris, non inferunt.

V. Alb. Gentil. disp. de lib. Iur. civ. cap. 4 in fin. & cap 6.

18. Quantum ad liberos homines, cum magna olim inter Libertinos & ingenuos existeret differentia; illos ingenuitate sæpius donatos, natalibusque ob bene merita ab Imperatoribus restitutos, ex titulis ff. & C. de Jure Aureorum Annulorum, & Natalibus restituendis abundè constat; quin & ultrò id, Patrono quamvis non consentiente factum quandoque fuisse, colligi posse, ex *l. 2. ff. de Natal. restituendis*, videtur Dn. Vulteio, *lib. 1. Iurispr. c. 5. n. 55.*

Sublata à Justin. Imp. per Nov. 78. c. 5.

19. Quod an jure fieri, & ita Princeps alteri jus suum minuere vel auferre, ex Potestatis (ut aiunt) plenitudine queat? magna est inter Doctores disceptatio. Affirmant id simpliciter. *gl. in c. ult. 9. q. 3. & in cap. constitutus, in verbo, à quocunque. de religios. domib. Bald. in l. rescripta. col. 3. versu, Item solius Principis. C. de prec. Imper. offer. & in l. 2. q. 18. C. de servitut. & aqua. & in consil. super eo quod quæritur. 401. n. 2. part. 4. Abbas in consil. 61. n. 3. part. 1. & alii complures; hanc communem & gl. & Dd. opinionem esse asseverantes, quos refert, P. Ant. de Petra, in tract. de potest. principis, cap. 24. n. 7. & aliquot sequentibus.* Ita ut Angelus *in l. Item si verberatum. §. 2 ff de Rei vendicat.* mendacii eos arguere non dubitet, qui negant, Cæsarem de plenitudine potestatis & sine causâ, dominium nobis auferre posse. Quibus robur haud parvum addere videtur, Jus Regis, descriptum à Samuele Prophetâ *lib. 1. de Regibus. c. 8. v. 11. & seqq.* Contrarium sentiunt, & Principem sine justa legibus fundatâ causâ, actui si publica id efflagitet salus, nemini dominium vel Jus aliud quæsitum eripere Jure posse, contendunt, *Glossa, Br. & commun. Dd. in l. fin. C. si contra Ius vel utilitat publ.* Quibus ego rei motus æquitate, accedo

habens; cum Principali auctoritate nemo circumscribendus sit. *l. 1. C. de his qui ven. ætat. impetr.* & res mea nec publico nec privato nomine auferri mihi queat: *l. 13. §. 1. ff. commun. præd.* fundusque aut possessio sua neminiaut promulgatione rescripti, aut reverentiâ sacræ adnotationis adimi debeat, *uti Imppp. rescribunt in l. Quicunq; 7. C. de omni agro deserto. lib. x1.* Et quamvis in *l. Item si verberatum. 15. §. 2. ff. de Rei vindicat. l. Lucius. 11. de Evict. & similibus*, causa nulla justa ademptionis prædiorum, ad posita reperiatur, respiciendum tamen ibi ad scopum JCtorũ; & est illa de Principe semper præsumenda. *l. 2. §. meritò. 10. Et ibi Goth. ff. ne quid in loc. publ. Dd. communiter, quos magno refert numero & sequitur Ferd. Vasquius lib. 1. controv. c. 25. num 17.* Hanc ipsam autem decisionem ad hypothesin ut transferamus, cum tàm servos quàm libertinos publicæ haud raro rei utilem navare posse operam, & rationis & exemplorum ex dictamine constet, ac benè de Rep. meritos præmiis afficere æquum sit; *l. cum qui. 58. C. de Decur. cum simil.* reliquos autem ad idẽ certamen excitare, utile. *l. 5. §. §. ff. de Iure immun. l. ult. C. de his qui sponte mun. pub. sub.* Utilitas autem publica sufficiens causa sit, ob quam Princeps adimere vel minuere jus suum cui quam potest: *l. 11. §. quoties. & ibi Gl. de Muneribus. l. 5. ff. de decret. ab ord. fac. Gl. ult. in l. ult. ff. si contra Ius vel util pub. Dd. quos allegat & sequitur Illustris memoriæ Dn. Baro Enenck. tract. de privil. 1. C. lib. 3. c. 6. n. 4.* illud etiam proposito in casu Jure fieri posse, satis ut arbitror patet.

PRIVILEGIA.

20. Præter libertinos, cæteris ingenuis quæ tribuii in præmium consueverunt symbola Honoris; quædam generaliter ob quodvis præclaræ indolis ac virtutis specimen conferuntur, quædam vero ad singularia & certa restricta inveniuntur merita. In illorum numero primum facilè sibi vindicant locum Privilegia multorum generum: quorum nonnulla scripto inserta Juri, complura extra illud indulta sunt, indulgenturve quotidiè; & quidem in præmium merentibus. *l. 26. §. 1. & ibi Bl. ff. de test. milit. l. 58. C. de Decur. l. iubemus. 4. C. de prox. sacr. scrin. lib. 12. l. fin. C. de Apparit. Præf. Præt. lib. eod. cum simil.* Non tamen omnia & singula. Privilegia enim in utramque partem tàm malam quàm bonam, tàm pœnæ quàm præmii causâ, & tàm in odium quàm in favorem certæ personæ dantur. *l. 40. de condict. indeb. Gl. in l. item si. 14. in verb. perpetua. ff. quod metus causa. Br. in l. neq;. 61. n. 2. ubi dicit, quod id fieri possit ad utilitat. Reip. & allegat Cyn. C. de Decur. Menoch. de arbitr. Iud. sent. lib. 2. cent. 2. casu 185. n. 28. & seqq.* Ac differunt etiam ea finium ratione aliàs. Quã de re latè Enenck. *d. tr. de priv. 1. C lib. 1. c. 10. à pr. usq; ad n. 29.*

Vidè Dn. D. Bocer. Patron. & Præcept. meum, classi. 1. disp. 3. th. fin.

21. Sunt autem Privilegia, Jura singularia seu specialia, contra juris universalis seu communis tenorem, æquitatis administrandæ causâ, legitimè

mè introducta. *l.16. de LL. Enenck. d. l.1.c.11.* Cum quippe disposition is divinæ provisio, gradus diversos & ordines constituerit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret; & ex diversitate, sine quâ universitas subsistere non poterat, contextio: nullus etiam unquam in tantum exstitit imperitus Legislator, qui non cælestium militiarum instructus exemplo, omnes creaturas in unâ (ut Gregorius loquitur) eademq; qualitate gubernari vel vivere haud posse, animadverterit; proindeq; ut aliquod discrimen ac ordo inter cives custodiatur, & æquum duxerit & perquam necessarium. Nihil enim est tàm inæquale quàm æqualitas ipsa: & cum cives singuli in jure omni, honoribus & immunitate inter se exæquantur, id omnis ἀταξίας, rerumq; perturbationis fons & scaturigo est perennis. *Dn. Præses lib.1. Polit.cap.11. n.32.* *c.fin.89. Dist. Papon.lib.3. Arr. 30. p. 296.*

22. Unde cum leges generaliter, & de iis quæ ut plurimum, non quæ raro accidunt, loquantur, & non ita scribi possint, ut omnes casus qui quandoq; inciderint, comprehendant; è contra vero novi subinde emergant, & personarum varia se offerat varietas, atq; adeò fieri facilè possit, ut jus hoc commune, naturalem in speciali aliquo facto lædat æquitatem: singularia ideoq; induci Jura & Privilegia, insperatus ille & minus prævisus quibus molliatur rigor operæ præcium est. *l.1.§.1. ibi, ne cui dolus suus per occasionem Iuris Civilis, contra naturalem æquitatem prosit. ff. de doli mali & metus excepr.* Hocq; idipsum esse judicio, quod in *l.11. ff. de LL.* dicitur, de his quæ primò (vel generaliter *l. prox. præced.*) constituuntur, aut interpretatione, aut constitutione optimi Principis, certius statuendum esse. *L.3. & l.10. de LL.*

23. Quamvis igitur Privilegia contra juris Civilis tenorem inducta, eidem tamen, utpote ex naturali æquitate originem trahentia convenientissima, ac tùm publicè tùm privatim utilia sunt. *V. Dn. Baron. Enenck, d. tr. lib.1.c.3.n.22. & seqq. ut & cap 12. ferè per tot.* Nec assentiri hâc in parte Italicæ Politicæ callentissimo Trajano Boccalini, possum, qui Privilegia Principum indulta beneficentiâ, lapides scandali & nociva zizaniæ inter Principes & subditos appellat seminaria; modo excessus evitetur omnis: qui si usquam, hâc sanè in exemptionum materiâ pernitiosissimus est; *qua de re V. eund. Boccal. Cent.2. Ragg.6.* *l. scire. 13. §.7. de excusat. Tut. l. 7. in pr. de bonis damnat.* *Cent.2. Ragg.11.*

24. Privilegia ergo non minus ac leges reliquas, is cui ea jure competit potestas condit meritò, & quidem æquitatis intuitu principaliter. Æquum siquidem est, bonos præmiis, improbos pœnis afficere. Unde dicendum videtur, eâdem suadente æquitate, privilegium bene de Repub. merito concessum, rationis propter identitatem, ad alium non minus

Aequitatis ratio communiter in omnes procedit. l. ult C. de fideicommiss.

merentem, vel casus saltem alios tacito sensu comprehensos, extendi judicando, & posse & debere Cum ubi eadem ratio, ibi idem quoque sit Jus. *l. libertum. 64. §. 1. ff. de Ritu Nupt. l. si sponsa. 74. & ibi gl. ff. de Iure dotium. cum simil.* Et ubi eadem ratio militat, tàm in uno quàm in altero, illa decidat omnes casus illos; non per extensionem, sed tanquam eos comprehendens, haud secus ac genus diversas species: ut loquitur M. Brunus. *de cess. bon. quæst. princ. 2 num. 13.* quod igitur legibus omissum est, non omittetur religione Judicantium. *l. 13. ff. de Testibus.* Id quod volunt plurimi magni nominis Dd. allegati à Schradero. *de feud. part. 8. cap. 7. nu. 16* Diversum tamen planè sentiunt, & verbis privilegii tenaciter inhærendum, nec ullam ea admittere extensione, docent *Gl. & Bl. in l. 1. §. licet. 20. in verbo, Edicti. ff. de Exercit. Act. per cap. porrò. Ex. de privil.* Quæ enim à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. *c. quæ à Iure. 28. de Reg. I. in 6. l. 14. ff. de ll.* Et ea quæ stricti sunt Juris, sicut privilegia, *d. c. porrò. c. petitis. Ex. de privileg.* extensionem nullam recipiunt. *Br. in l. non quasi. 4. §. illud ff. rem pup. salvam fore. per illum text. & l. si prægnans. 42. cum l. seq. ff. de evict. &c.* Ego vero, uti privilegia extèdi nullo modo posse, legibus & exemplis Juris edoctus admittere nequeo. *l. 1. §. ult. ff. de usuris. l. princeps. 21. cum suâ gl. ff. de V. S. cum similibus, congestis à Generoso Enenck. d. tract. lib. 2. cap. 4. num. 5. & 15.* Ita mediâ quasi incedens viâ, nec rationi tantum tribuere ausim; ut ipsius solius vi atque efficaciâ, privilegium ad casum non expressum à Judice transferri possit; nisi insuper legis aut superioris autoritas, à quâ ea quippe pendent, accedat. *facit. l. 1. in fin. ibi, quo ad eius per leges, plebiscita, SCta, Edicta, Decreta principum licebit. ff. ex quibus caus. maior.* & *l. 12. §. 1. ibi, quod quidem per quam durum est, sed ita lex scripta est. ff. de Testib.* Unde Harmenopolus, cum (ait) aliud jus ipsum, aliud æquitas postulat, controversiam hanc solus princeps dirimit. Eius siquidem solius est hujuscemodi quæstiones finire ac decidere: & confirmant hanc opinionem, tam LL. quàm rationibus firmatæ Doctorum authoritates, relatæ *à Dn. Barone Enenck. d. tract. de privileg. lib. 2. c. 4. num. 35. & seqq.* Ubi post multa concludens, tandem privilegiorum extensionem ex legum potius auctoritate, quam ratione sumendam; ac legislatorem quidem ratione legis moveri ad ferendum, subditos autem jussu atque verbo flecti ad parendum, & juris & moris Politici esse, doctè statuit. *V. eund. & lib. 3. cap. 12.*

lib. 1. prompt. tit. 1. §. 33.

25. Sed quid si duo pariter ita privilegiati, ut nulla inter eos prærogativæ ullius animadverti queat ratio, circa petitionem unius eiusdemque rei concurrant; cuinam adjudicanda, quidve erit statuendum? Et quamvis aliqui, magna quorum meritò apud me est authoritas, existiment,

ment; eo in facti ſpecie, præſuppoſito, quod utrique privilegiatorũ ſatis fieri in ſolidum non poſſit, ipſos nullâ Jurium particularium habitâ ratione, ad Jus commune illo redigi caſu. Ego tamen quare à deciſione Gloſſæ, quæ æqualiter ipſos admittendos, *ad l. un. C. de privil. dotis*, notat, recedendum ſit, haud perſpicio. Privilegium namque ſemel conceſſum, ſine juſtâ jureque probatâ causâ non amittitur, quia omnia quæ jure contrahuntur: contrario jure pereunt. *l. 100. de R. I. adde l. Ferè. 153. & l. nihil tam. 35. ff. eod.* cum ſimil. Et aliàs etiam duo vel plures ad eandem rem invitati, quamvis prima facie ſolidum ſingulis aſſignatum videatur, nihilominus tamen per concurſum partes ſibi faciunt, nec ſe impediunt, ſive ad illam rem ſeparatim ſive conjunctim invitati dicerentur. *Ang. Aretin. & communiter Dd. ad §. ſi eadem res. I. de leg. l. ſi pluribus. 33. de leg. 1. l. coniunctim. 80. de Leg. 3. per illos textus, & evidentiam legis un. §. ubi autem. 11. C. de Caducis toll.* Nec eſt quod regeri poſſit, nos in idipſum quod per ſpeciẽ fugimus, hac ipsâ deciſione præcipites dari. Quamvis enim æqualis inter duos, pari ratione de re eâdem controvertentes diviſio, Juri communi conveniens ſit; ea tamen & uni & alteri adverſus tertium quemcunque, qui in eodem concurrere poteſt petitorio, competens non perimit privilegium: quod alioquin pluribus conceſſum, non intelligitur propriè, alteri contra alterum, ſed tantum contra exteras perſonas datum. *Bald. in l. non tantum. §. Vlienſibus. ff. de excuſat.* Multò minus id me à receptâ jam dimovet ſententiâ, quod uterque privilegiatus jure ſuo fruſtratur, dimidium ſaltem illius accipiendo, quod ex aſſe meritò petit. Non enim tantum eſt hoc incommodum, quantum foret, ſi privilegia ſua exercere planè non poſſent. Eſt enim inter duo mala eligendum id, quod eſt minus; debetque in dubiis media ex æquitate eligi via. *§. fin. Inſt. quibus ex cauſ. manumitt. Et facit. l. communi. 7. ibi, æquiſſimum eſſe. ff. Com. dividundo.*

26. Huic non multum abſimilis eſt, illa à Doctoribus variè agitata, & ad materiam noſtram propriè ſpectans quæſtio; ſi præmio illi propoſito, qui primus hoſtiles conſcendat muros, aut ad certam pertingat metam, vexillumve hoſtibus eripiat, duo vel plures idem præſtent ſimul, cui illud tribuendum? Cujus quæſtionis ſi ullibi, in graviſſimâ ſanè de majoratu diſputatione, inſignis coruſcat uſus, qua de re latè *Tiraq. in tract. de iure primog. quæſt. 17. per tot. Vaſq. lib. 3 controv. c. 90. n. 11. & ſeq.*

27. Ego variis variorum opinationibus ſilentio præteritis, exemplo JCti. *in l. 28. de reb. dub.* ante omnia intentionem proponentis ſcrutandam, eiuſque ductu difficultatem omnem reſecandam puto. *l. in ambiguis. 96. de R. I. l. alienationis. 28. l. verbum. 123. de V. Sign. gl. in c. ex multiplic. de Dec.*

Mens enim potius & voluntas quam verba spectanda sunt. *l. 3. ff. de Reb. dub. l. 3. §. 9. ff. de adimend. vel transfer. leg. l. 19. de condit. & demonstrat.* Unde illud: quidquid agunt homines, intentio judicat omnes, *ut l. 1. & l. qui cum telo. C. de Sicariis.* Ubi autem de illa constare nequit, cum in iis, quæ evidentem probationem non recipiunt, sufficiat illas verisimiliter concludere; *gl. in l. neque natales. C. de probation.* ita statuendum duxerim. Ut si id fieri sine magno Reipubl. dispendio possit, eo inprimis casu, cum egregium facinus quoddam in illius gestum est salutem, præmium omnibus tribuatur ex Asse. Quod & placet Ang. *ad §. si plures. ubi hanc communiter à Dd. receptam esse tradit opinionem. I. de legit. agnat. succeff. per illum text. & l. qui filiabus 17. §. 1. de Leg 1.* Beneficia quippe Principis, largissimè & plenissimè interpretari jubemur. *l. fin. & ibi gl. approbata. ff. de constit. Princ. c. olim. 16. ubi gl. de verb. signif. c. cum dilecti. de donat. c. quia circa. de privileg. c. decet. 16. de R. Iuris in 6.* Et sacrilegii instar est, super quibuscunque administrationibus vel dignitatibus promulgandis, divinis obviare beneficiis *l. 5. C. de diversis rescript.* Eo enim contra generosam Principum peccatur naturam, quorum proprium est, liberales esse. *Bl. in l. & in legatis. C. ad L Falcid.* Ita civitatis splendor ille Scipio Africanus, cum muralis coronæ præmium ei dandum esset, qui primus Carthaginis novæ, quam obsidebat, mœnia conscendisset; duoque simul eos muros transcendisse se contenderent, utrumq; murali Coronâ & honore donavit: nec absimiliter, cum apud Cumanos aliquando dubitaretur, utri ex duobus, Aristodemo scil. an Hippomedontæ corona daretur, ex eâ insigni victoriâ, quam ex Etruscis, qui circa sinum Jonicum habitabant, Umbriis, Dauniis, aliisque barbaris retulerant; censuerunt seniores utrique eum honorem impertiendum. Imo his relictis proprietatem ipsorum possumus urgere verborum; quod propriè loquendo, proximior vel prior dicatur ille, qui alios antecedit, quum sunt plures: licet etiam proximior dici possit, quum est solus, quem nemo præcedit, sicut rectè Angel. notat *in d. §. si plures. I. de legit. agnat. succeff.* Singularis etenim numerus concipit pluralitatem. *de quo idem in l. falf. §. 1. de condit. & demonstrat.*

Liv. lib. 6. de bello Punic. 2.

Dionyf. Halicarn. lib. 7. antiquit. Roman.

28. Sicq; dicendum, & id æquitati ac Principali dignitati (cujus quanta debeat haberi ratio, v. apud Chassan. *in Catal. gl. mundi, part. 5. consid. 26.*) convenientissimum existimarem eò casu, quùm ut dixi, sine magno utilitatis pub. id fieri potest detrimento: eâ autem reclamitante, vel cum solidum sine ingenti difficultate omnibus præstari nequit, promissum exæquo partiri inter concurrentes præmium debere, Juri arbitror consonum, sequutus Dd. quos laudando allegant, Tiraq. *d. tract. de Iure primigen. quæst.*

quæst. 17. opin. 4. num. 12. & Vasq. *dict. libr. 3. controvers. cap. 90. numer. 1. per l. coniunctim 80. de Leg. 3. l. si fundus. 16. §. si duo. de pignor. l. si pluribus. 33. de Leg. 1. l. si qui. 17. §. 1. de Leg. 2. l. si finita. 15. §. si plures. 15. de damno infect.*

29. Quod ut satis expeditum videri queat, ita præcipua meo judicio difficultas, in illa consistit facti specie; si nimirum præmium propositi, in Jure tam proprietatis quàm possessionis, vel usus vel administrationis, individuum sit: verbi gratia, si filia Imperatoris ei qui primus hostileis transcendisset muros promissa sit, aut aliud quod simile? Hocque casu anne fortassis omnes æquè excludendi? *ut quidam tenent. Arg. l. cum ex pluribus. 31. de manum. testam. l si fuerit. 10. de rebus dubiis. l. 3. §. 7. de adimend. vel transf. leg. l. duo sunt Titii. 30. de Testam. tutela.* Aut sorti res committenda? *Argum. l. fin. C. commun. de Leg. l. 13. & seq. ff. de Iudiciis.* Anne gratificationi locus relinquendus? *Argum. l. fin. de relig. & sumpt. fun.* quod magis arridet, *Tiraquel. dict. loco. quæst. 17. opin. 2. num. 17. ubi latè de gratificatione. Alberi. in proem. ff. §. discipuli. ubi hanc communem dicit opinionem. Alex. in l. qui filiabus. § 1 de Leg. 1. Ludov. Roman. in l. cum qui. ff. ad Trebell. Vasq. d. lib. 3. cap. 90. num. 8.*

De duobus concurrentibus ad brabium; in specie videre potes Ang. Aret. in §. proximus. I. de legit. agn. succeff. Vasq. quæst. 91.

30. Illud circa hanc de privilegiis necessariam mentionem superaddere lubet; quod utcunque ea semel indulta, sine justa Legibusque probatâ causâ, adimi amplius nequeant. Non enim Imperialis majestatis proprium est auferre concessa. *Novell. 10.* Alia tamen aliis, aut firmiora aut lubrica magis existunt, tantoque minorem ac leviorem ob causam tolluntur, quanto leviori causâ & vinculo contracta colligataque sunt, *iux. l. nihil tam naturale. de R. I.* Ita illa privilegia quæ præmii loco, ob bene merita conceduntur, firmissima censentur. *Tiraq. in l. si unquam. in verbo, donatione largitus. Cod. de revoc. donation. Crav. de antiquitat. temp. part. 1. §. circa primam. num. 56. & plures alii, quos isti, ut & C. Tapia, in l. fin. ff. de constit. Princip. part. 2. cap. 9. num. 6. allegant.* Certe privilegium remuneratorium cuicunque datum, esse irrevocabile, ait Joan. Andr. *in cap. novit ille, quem allegat ibi, Felin. de Iudic. per text. in l. si pater. 34. §. 1. ff. de donat. ubi, quemadmodum & in addit. ad l. ex hoc Iure. liter. R. de Iust. & Iure. Bart. dicit, quod donatio remuneratoria est irrevocabilis, & non insinuatur: quod sequuntur etiam Tiraquell. in dict. l. & verbo. Dominus Doct. Bocerus, class. 2. disput. 19. thes. 80. Dd. plerique quos allegat Em. Soarez. in thesaur. recept. sent. in verbo donatio. num. 233. & seqq.* unde in hisidem jus, quod in iis quæ ex contractu debentur, servandum esse,

esse, docent Dd. *alleg. ut à Barone Enenck d. tract. de priv. Iuris Civil. libr. 3. cap. 8. n. 2. quem cund. v. lib. eod. c. 5. n. 32. & seqq. ut & cap. 6. num. 44 &c.* Hæcque de privilegiis præmii loco concessis, pro instituti ratione breviter dicta sufficiant.

NOBILITAS. 31. Sequitur Nobilitas, Præmium & ipsa, ac singulare eorum decus, quos sua jam ante coronavit virtus. *Arg. l. un. C. de Metropoli Beryt. lib. 11. Iosias Nolden, de Statu Nobil. Civ. multiugâ eruditione referto, (qui insertus est, vol. 4 disput. Basil.) cap. 7. thes. 57.* Quamvis enim illa, vel naturâ iis, queis meliore luto, finxit præcordia Titan, inesse, factoque hominis alius, nec dari nec adimi posse, videatur; quod Canonistæ contendunt, *ad c. nos qui. Dist. 40. & cap. pen. de præbendis, per illos text.* ubi etiam sequentes annotant versus,

Nobilitas hominis mens est, Deitatis imago,
Nobilitas hominis, virtutum claro propago,
Nobilitas hominis, humilem relevare iacentem,
Nobilitas hominis, nisi turpia nulla putare,
Nobilitas hominis, naturæ iura tenere.

32. In quam eandem sententiam frequentibus eunt votis, non Juris saltem nostri Interpp. complures, sed & Theologi, Poetæ ac Philosophi, inter quos, Diogenes quinam hominum Nobilissimi essent interrogatus? contemptores respondit opum, gloriæ, voluptatis & vitæ; contrariorum vero, scil. paupertatis, ignominiæ, laboris & mortis victores: plerique autem omnes, splendidum & Nobilem efficere solere, non majorum Nobilitatem, sed animi virtutem, constanter affirmarunt. Virtus enim per se nobilitat: &

Juvenal. Satyr. 8. *Tota licet veteres exornent undique ceræ*
Atria; Nobilitas sola est atque unica virtus.

Præeminentia autem virtutis à Numine Divino, non ab hominis arbitrio descendit. Arridet tamen Baldi doctrina, *in l. Nobiliores: in fin. C. de commerc. & Mercat.* Ubi Nobilem tribus dici modis, tradit. Primò, Genere, & ita (inquit) vulgus accipit. Secundò; Virtute, & ita Philosophus accipit. Tertiò, utroque; & ista est, ait, perfecta Nobilitas, scilicet generositas animi, magnitudine decorata. *Papon. liv. 5. Arrest. 39. p. 287.*

33. Et sanè genuinam quod si Nobilitatis Civilis originem, finem unicum, & rectam denique spectare velimus rationem, vix est ut brevi hâc meliorem ei ad propriare queamus definitionem. De primordio Civitatis verba faciens Livius, Lucumon, inquit, & eius uxor Tanaquile, Romam migrandi consilium sumpserunt, quod ibi omnis repentinâ atque ex virtu-

Dec. 1. lib. 1.

tute

tute Nobilitas esset. At cum illi non solùm, plurimorum prohdolor hodiè virtutis hoc proprio symbolo insignitorum, vitiosi obstrepant mores; sed variæ etiam variarum Rerump. reclamitent consuetudines: tutissimum erit eandem suasu JCti describere, prout modernus fert usus. Quod nimirum sit dignitas, supra honestos plebejos eum constituens, qui vel ipse vel per majores suos, ob virtutes Reip. & vitæ communi salutares, à Lege aut Principe id Juris habente, eandem accepit. Hanc Nobilitatem Politicam & Civilem communiter nuncupant, *sequuti Br. & qui illius adorat vestigia, Iasonem, in l. 1. col. 2. C. de Dignit.* *In l 18. §. Item 3. de Instruct. leg.*

34. Ea autem qui condecorati sunt, Nobiles quasi noscibiles, audiunt. *Tiraq. h. cap. 2. Hyppol. à Coll. in suo Nob. thes. 8. Dn. Bocer. tract. de qual. & differ. feudi. c. 3. num. 15.* Et definiuntur à Dn. Vultejo, *lib. 1. Iurisp. c. 6.* Quod sint cives Rerump. suarum, ex voluntate Principum illustriores. Galli *Gentilshommes*, Itali (quibus proximè accedunt & Angli) *Gentilhuomini* eos indigitant; sive quod Gentiles dicere velint, sive quod vox illa *Gentil* vel *Gentile*, tanquam Gallorum aut Italorum propria, honestum venustumque denotet. Apud Germanos Edelleut audiunt, sive vom Adel/ quæ vocula à Græco ἀέθλιον (quod benemeritum seu præmio affectum significat) fortassis derivatur, ejusque intuitu ad propositum nostrum conducit maxumoperè. *Dn. Præs. lib. 1. Polit. cap. 11. num. 38.* Nec ab eo alienum est, quod Hispani Nobilem Hidalgo quasi Hijo dalgo, Filium alicujus (egregii subintellige facinoris) appellant. De quâ derivatione differentem Johannem Huarte, in egregio libello quod examen ingeniorum indigitat, non potui sine magno legere oblectamento ejusque ex vernaculo suo sermone, quædam transferre verba, atque hic inserere placuit. Illius (inquit) qui primus hoc nomen adinvenit opinione, duplicem mortales sortiuntur ortum, quorum naturalis alter est & omnes adæquans; spiritualis alter, tum contingens, quùm Heroicum quis edit facinus, aut summâ laude dignum opus: tunc enim de novo nascitur, & priorem amittendo essentiam, novos melioresque nanciscitur parentes. Heri filius indigitabatur Petri, nepos Pauli &c. hodiè filius nuncupatur suorum operum. Unde & Hispanorum vulgatum originem trahit proverbium, quod unumquemq; filium prædicat rerum à se gestarum.* Cum vero bona & ad virtutis normam directa opera, S. S. Scriptura Ens sive Aliquid appellet, *Actor. 5. vers. 36.* Vitia vero & peccata Nihil; hoc nomen Hijo dalgo, sive filius alicujus composuit; quo significaretur vel is ipse, vel descendens ab eo, qui per singularem quendam virtutis actum,

* *Cada uno es hijo de sus obras.*

V. etiam hac de re D. Dyonis. in lib. de Divinis Numinibus. Boet. de consol. phil. lib. 3. pr. 12. Enenck. de priv. I. C. lib. 3. c. 5. n. 45. Vasq. lib. 2. controv. cap. 51. num. 65.

ut tàm ipse quàm omnes ejus in sempiternum posteri, à Rege vel Rep. insigni quodam donarentur præmio, promeruit.

35. Nobilitatis autem hujus certi sunt gradus, nec ea solùm illorum est censenda propria, qui Nobilium nomine simpliciter salutantur; sed in majori etiam dignitate constitutos, Barones puta, Comites, Marchiones, & Duces complectitur, *uti textus est, in c. constitutis. 46. de Testib. & in cap. grandi. de suppl. neglig Prælat. Chassan. in catal. gl. mundi. p. 8. consid. 46. Tiraq. de Nobil. c. 6. num. 51. Paurm. de Iurisd. lib. 2. c. 11. num. 12. Dn. Præs. dict. lib. 1. Polit. c. 11. n 48. Ioh. Nolden. d. l. nu. 4. Petr. Fritze. de Nobil. Civ. concluſ. 18.* Sic Gallia universa in tres ordines divisa, sub illo qui Nobilitatis insignitur nomine, omnes quoq; comprehendit Regni illius Principes & Dynastas, ut Magnus ille Henricus Rex, in Comitiis Rhotomagensibus meritò dixerit; *De ma brave & genereuse Noblesse, ie ne distingue point mes Princes, pour estre nostre plus beau tiltre, Foy de Gentilhomme.* Quin & Regii honoris collatio, inter Nobilitatis gradus refertur, *iuxta Petr. de Andlo lib. 2. de imp. Rom. c. 12.* Ac comparatione quasi cum cæteris institutâ, ipse Imperator Nobilissimus dicitur, *in l. quæris. 3. de Natal. restit.* Quemadmodum & Carolus V. Imper. aliquid asseverans, id non nisi fide Nobilis & equestris viri plerunque affirmasse fertur. *Franc. Mennen. de ordin. Equestr. p. 11.*

Histoire des dern. troubl. liv. 5 p. 68.

36. Verum enimvero quum conceditur Nobilitas, fit illud aut expressè, actuque solùm ad id destinato, per diploma: Wann einem wegen seiner dapffern Thaten/ein Adelicher Wapenbrieff gegeben würdt. *argu. l. 3. §. viros. C. ubi Senat. vel clariss. Dd. quos allegat Petr. Fritze. d. loc. concluſ. 17.* Quemmodum hodiè usitatissimum, non nuper, ut quidam existimant, cœpisse; sed Zenonis tempore, ante mille annos in usu fuisse, eruditè ostendit Conr. Lagus, *in Method. Iuris civil. cap. 29. n. 11.* Aut tacitè, facto quodam implicito. *Br. in l 1. col. ult. C. de Dignit. per l. de quibus. in fin. ff. de Legibus l. 95. & ibi Gl. de acquir. hered.* Est enim & aliàs multo amplius facere, quàm pronunciare. *l. si tamen. 48 §. ei qui servum. ff. de ædil. edicto.* Id quod tum fieri potissimum arguitur, Siis cui jus nobilitatis conferendæ competit, cum quem ignobilem esse compertum habet, de feudo nobili scienter investiat. Tum enim in dubio, Nobilitatem quoque concedere voluisse censetur; *arg. c. 1. Quis dicatur Dux, & c. 2. F. 10. Br. in d. l. 1. col. ult. vers. civitas vero. C. de Dignit. Tiraq. de Nobil. cap. 7, n. 14. Dn Bocerus, tract. de qual. & diff. F. cap. 3, n 18. & seq. Masc. de probat. concl. 1095. n. 5. vol. 2. Rosenth. c. 2. de F. q. 2. in fine, & c. 9. q. 5 5. n. 4. & 5. Gail. de Arrest. Imperii, cap. 6. n. 9. & lib. 1. obser. 30. n 5.* Quod inprimis iis procedere Feudis, quæ Regalia nostri vocant (*Paurm. de Iurisd. lib 1. cap. 4. n. 7. & seq.*) modò allegati docent Interpp. & luculento id comprobavit exemplo

emplo, Sereniſſimus quondam Patriæ noſtræ Pater, Fridericus Magnanimus, qui ſolo ſucceſſionis jure, in Ducatum Würtembergenſem & Teccenſem, ſine ſpeciali Imperatoris creatione, Dux eſt effectus *Quemadmodum modò laudatus Dn. Bocerus, alleg. notavit loco.* Ejuſdem plane effectus eſſe, quod ad hoc ſi Princeps cui in magno Procerum Senatu diſſerenti, pileum imponat, cenſet Aurpach *lib. 1. ſing. alleg. c. 27.* ubi exemplum Comitis Egmondani memorat; qui cum de rebus præclarè contra hoſtem geſtis referre coram Philippo II. Hiſpaniar. Rege inſtituiſſet, aperto vertice, caput operire juſſus, eo ipſo judicatus eſt Principis dignitatem accepiſſe *Kirch. diſp. 2. de Rep. Auctario. 5. & de Legat. lib. 2. c. 5. n. 45. & ſeq. Ioſ. Nolden. de Statu Nobil. civ. cap. 5. §. 6.* Idem quoque Nobilitatis jus tributum præſumitur, ſi Princeps quem lateri ſuo adhærere permittat, aut in ſacri ſui Palatii cœtum tanquam Conſiliarium aſſumat; vel etiam Equitem Auratum, Doctorem ve juris creet, aut Militiæ præficiat. De quibus poſterioribus modis, cum infra ſuis ſingulatim ſedibus dicendum ſit fuſius, hoc unicum duxi hîc loci monendum, eos Temporariam ſaltem & in poſteros non tranſitoriam conferre videri Nobilitatem, *uti Dn. Præſ. d. lib. 1. Polit. cap. 11. n. 64. & ſeq.* id reſtringit.

37. Aliàs enim regulariter Nobilitas ſemel à Patre adquiſita, quaſi ex traduce, ad poſteros quoque, liberos videlicet utriuſque ſexus: *l. 1. ubi Br. & in l. Senator. 11. Cod. de Dignitat. l. 19. de Statu homin. Bl. in l. cum antiquioribus. colum. 3. in 8. q. in princ. C. de Iure delib. Ioh. Raynaud. tractat. Nobil. num. 21. Tiraquell. h. Cap. 15. num. 1.* modo illi legitimi, non naturales, *Br. in d. l. 1. colum. 4. verſ. item pone ex eod. C. de Dignitat. per d. l. 19. de ſtatu homin. Bald. in l. cum legitimæ. 19. ff. eod. & c innotuit. colum. ultim. verſ. nota quod Nobilitas. de Elec. Dn. D. Bocerus de Regal. c. 2. nu. 24.* aut adoptivi ſaltem, *Caſſan. in cat al. Gl. mundi. part. 8. conſid. 23. Tiraq. in tract. primigenior. p. 84. num. 7. Dn. D. Harpprechtus, Præceptor meus devotè venerandus, in comment. de adopt. §. fin. num. 5. & ſeqq. Weſemb. conſil. 44. num. 5. Dn. Præſes lib. 1. Polit. 11. §. 54. V. tamen ſæpè laudatum Dn. D. Bocerum, d. tractat. de Regalib. cap. 2 num. 41.* vel etiam ante nobilitatem partam nati ſint, *l. Senator. 11. C. de Dignit. l. 55. l. 61. l. 63. ubi Gothofr. l. penultim. & ultim. ubi Bl. Cod. de Decur. Br. in l. 2. §. in filiis. Cod. eod. Tiraquell. dict. tractat. primigen. quæſt. 31. num. penult. & ultim.* deſcendit in infinitum. *Caſſan. in cat al. Gl. mundi. part. 8. conſid. 24. & Dd. quos allegat Petrus Fritze, de Nobil. civil. concluſ. 20. liter. L.* Idque etiamſi ex parte matris ea deficiat qualitas. Legitimè enim nati liberi, Patris non matris ſtatum & conditionem ſequuntur. *dict. l. 19. de ſtatu homin. l. 1. §. 2.*

ff. ad Municipalem. l. eos. 22. l. 36. l. nullus. 44. C. de Decur. cap. 2. de conversi. infid. D. Bocer. d. l. num. 14. & seqq. Ios. Nolden. h. cap. 8. §. 1. Et ipsa Vxor ignobilis, nobilitatur ex mariti nobilitate, ejusque coruscat radiis. *l. fœminæ. 8. ff. de Senat. Nov. 105. c. 2. in pr. l. 1. C. de in Ius vocando, cum simil. gl. in cap. ubicunq; in verbo, masculinam. de pœnis. lib. 6. Br. in sæpè d. l. 1. col. 7. vers. examinemus ista verba. C. de dignit. Illustr. Enenck. lib. 2. de priv. I. Civ. cap. 4. num. 76. & seqq. Tiraq. h. cap. 18.* Quamvis inficias nemo eat, longâ serie ab utroque Parente derivatam Nobilitatem, tanto esse illustriorem. *Dn. Præses d. lib. 1. Polit. c. 11. num. 53. & Dd. quos ad id citat ac sequitur. Ios. Nolden. Th. 60.*

38. Eam porrò insignia concomitantur privilegia, quæ omnia persequi, propositi nostri efflagitare haud videntur leges; recensèt autem illa succinctè, Hyppol. à Coll. *hic. Th. 57. & seq.* ac suis ex instituti requisito corroborant fundamentis, Tiraq. *de Nobil. Cap. 20. per tot.* Matth. Stephani *de nád. mát. Cap. 5. itidem per tot.* Petr. Fritze *Th. 22 & seqq.* Iosias Nolden, *Cap. 9. & 3. seqq.* Quibus ut plenè etiam fruantur ac ita verè Nobiles censeantur, qui ob egregias aliquas virtutes hoc noviter accepêre decus; & Juris esse, & æquitatis, salvo aliorum judicio, ego haud dubiè puto. Idque tùm, quod à Principis hæc omnia liberrimo dependeant arbitrio, qui quem vult, nobilitat. *Br. in l. 1. C. de dignit. Bl. in l. Sacrilegii. C. de diversis rescript. Iaſ. in l. omnium. in 1. not. C. de Testam.* Et non libertos saltem efficere, sed & natalium restitutione plenam conferre potest ingenuitatem. *l. 2. C. de iure aur. annul.* tùm quod qualitas hæc in Parentibus mutila, descendere perfecta nec ad posteros posset. Heredem quippe ejusdem potestatis jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat. *l. heredem. 59. de R. I. Facit l. nemo plus. 54. & 120. l. in his. 175. §. 1. ff. eod. cum simil.* Et tractu temporis convalescere regulariter nequit, quod ab initio vitiosum est. *l. quod ab initio. 29. ff. d. t.* Hàc in nostrâ præsertim facti specie, ubi Princeps non præsumitur aliam posteris concedere voluisse Nobilitatem, quàm Patri. Adde, quod (si Bartolo credimus) proles seu origo, non est dignitas, nec dat per se dignitatem; sed Princeps demum, Nobili genere prognatos nobilitat æquè ac alios, propter genus tamen & originem. *Br. in l. mulieres. 10. C. de Incolis. & in l. 1. col. 5. vers. præterea Nobilitas. C. de Dignitat. per illos tex. & l. mulieres. 11. C. modò d. tit. ut & Novell. 10. §. fin.* Ut mirum non sit, noviter Nobilitatos, ad Assessoratum Cameræ facilè recipi, si modo alioquin ordinationi conformes sint. *V. Ios. Nolden h. cap. 6. §. 1.* Non enim, ut Plinius in Panegyr. ait, deterior conditio eorum esse debet, qui posteros habere Nobiles meruerunt, quàm qui, Parentes habuerunt.

39. Quin & hominem novum, qui famam virtutis præclarè consecu-

tus

tus est, nobili cuicunque ignavo præferendum esse meritò, nemo ferè dubitat. *Theveneau au 21. chap. de ses morales.* In eâque sententia est *Gl. 2 in l. 2. ff. de Testib. Bl. in cap. penult. in fin. de probat.* Ubi dicit, anteponi Testimonium honestarum & benemeritarum Personarum, testimonio nobilium; *'quem sequuntur ibi*, Fel. Ddq, alii. Ac facit huc optimè, quantum ad Principale, text. *in cap. nos qui. 4 c. Dist. & in cap. illud. 6 ad. Dist. Idemque voluit Salicet. in l. prævidendum. C. de postul. Panorm. in cap. pen. in 4 nota. de præbend.* Et Lucas Penna, *qui ad hoc multa allegat, in l. mulieres. col. prima. C. de Dignit. lib. 12.*

Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?

Ego quidem (ait Euripides) nescio, quâ ratione consideranda sit Nobilitas, nam fortes Naturâ & justos, vel à servis natos, nobiliores esse dico, quàm inani gloriâ tumidos. Quo vernaculum etiam illud collimat. Wol gezogen/gehet vor wolgeboren. Quemadmodum & illud,

Den Menschen Tugendt Edel macht/
Wadie nicht ist/der Adel tracht.

Leossa, i nervi, la carne, e le budelle delle persone, tutte essendo fatte ad un modo, chiaro è, che la vera nobiltà de gli huomini, sta posta nel cervello, non nelle vene. Boccal. cent. 2. Ragg. 8.

Non est virtus nobilem nasci, sed nobilem se facere: hocque dicterio generis sui vilitatem Urbanus IV. Pont. M. excusare solebat. Sanè si possent homines sibi sortem facere nascendi, nemo esset humilis, nemo egenus, unusquisque felicem domum invaderet. Sed quam diu non sumus, natura nos tegit, & in quemcunque vult casum nos mittit. Hinc sumus æstimandi cum sumus nostri. Socrates non fuit Patricius; Cleantes aquam traxit, & rigando horto manus locavit; Incunabula Tulli Hostilii agreste tugurium cæpit, eiusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata; validior ætas, Imperium Romanum rexit & duplicavit; senectus excellentissimis ornamentis decorata, in excellentissimo majestatis fastigio fulsit. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit: & idem ait, neminem Regem non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex Regibus. Omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsumque fortuna versavit. Quis est Generosus? ad virtutem benè à Naturâ compositus, hoc unum intuendum est. Nemo in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, nostrum est: animus facit Nobilem, cui ex quacunque conditione supra fortunam licet assurgere. Hic autem animus tàm in Equitem Romanum, quàm in libertinum, quàm in servum potest cadere. Quid est Eques Romanus, aut libertinus, aut servus? nomina ex ambitione, aut ex injuriâ nata: subsilire in Cœlum ex angulo licet.

Botero d. detti fol. 60.

Senec. lib. 2. contro. 6.

Id. Epist. 44.

Val. lib. 3. cap. 6.

Sen. epist. 31. ad Lucil.

Malo Pater tibi sit Thersites: dummodo tu sis
Æacidæ similis; Vulcaniáq, arma capessas;

Juvenal. Satyr. 8.

Quam te Thersitæ similem, producat Achilles.

Ille vilissimus est, qui habuit viam Nobilitatis paratam à parentibus, & ipse non servat eam, & talis vituperandus est plus quàm alius. Si ergo est vilissimus, ergo non est nobilis. Et hoc tangit multos viventes, qui vadunt per terram, sed quo ad mores, mortui sunt; inquit Bartolus, *in l. 1. col. 5. vers. Item reprobat. C. de Dignitatib.* Meritò igitur Marius apud Sallustium: contemnunt inquit, novitatem meam, ego illorum ignaviam, mihi fortuna, illis probra objectantur. Quod si jure me despiciunt, faciant id majoribus suis, quibus uti mihi, ex virtute Nobilitas cœpit; invident honori meo, ergo invideant labori, innocentiæ, periculis etiam meis, quoniam per hæc illum cæpi. Item. Cum apud vos, aut in Senatu verba faciunt, pleráque oratione majores suos extollunt, atque eorum fortia facta memorando, clariores se putant, quod contrà est: nam quanto vita illorũ præclarior, tanto horum socordia flagitiosior: Nũc videte quàm iniqui sint, quod ex alienâ virtute sibi arrogant, id mihi ex meâ non concedunt: scilicet, quia imagines non habeo, & mihi nova nobilitas est, quam certè peperisse melius est, quàm acceptam corrupisse, &c. Sollemne omni tempore imperantibus fuit, in locum deficientis, aut etiam degenerantis nobilitatis alios surrogare. Non enim est gratia Divina unam familiæ vel seculo alligata, nec ità effœta est natura, ut non possit adhuc producere similes illis, qui olim nobilitatem generi suo intulerũt. *D. Præs. lib. 1. Pol. c. 11. n. 57.*

Los Romanos hazian Monarcas, mas por el merescimiento, que tenian los hijos, que por la auctoridad, que heredaron de sus Padres. Vida de M. Aurel. cap. 1.

40. Quæ omnia tamen, eum haud recensentur in finem, quod originis splendori nihil planè deferendum existimem: tantum enim valere apud omnes bonos debet, clarorum hominum benè de Rep. meritorum etiã mortuorũ memoria, ut Nobilitati faventes semper; novos homines, illis qui cæteris paribus, avitâ quoque virtute natalium ve conspicui sunt splendore, postponamus omnimodè. *Per tex. in l. 1. de albo scrib. l. 1. & 4. C. de consul. lib. 12. l. si quis. 10. C. de profess. & med. lib. 10. l. 1. in pr. de Censibus. cum concordant. Tiraq. h. c. 19. Dn. Bocer. de Regal. c. 2. n. 46. Matth. Steph. h. cap. 4. n. 12. & 16. Hippol. à Coll. th. ult.* Ita si duo sint æqualis scientiæ, magis honorandum, qui est de meliore sanguine, ait Bl. *in l. nemini per illum tex. C. de Advoc. div. Iudicio.* Et in simili, filios Doctorum præ aliis competitoribus propter paternam dignitatem, ad officia promovendos esse, vult Gl. *in l. habemus. C. d. t. & Bologn. n. 77.* Vbi etiam notat, quod debent magis ad Lecturã assumi, quàm alii, si sint æqualis scientiæ *D. D. Halbrit singularis meus & suspiciendus Patron in Orat. de priv. Dd.* Et hæc sunt, quæ circa mentionẽ de altero principali honoris symbolo, virtutisq; præmio, delibare meũ duxi. Iam ad alia.

JUS CIVITATIS.

41. Civitas quoq; Romana olim data, cum id rarũ nec nisi virtuti pretiũ esset.

esset.* *tex. in l. 2. C. pro quib. causis servi, &c.* Ita Vindicio servo, conjurationem quorundam Nobiliũ Juvenum, cum Tarquinii legatis detegenti, secundum pœnam nocentium, ut in utramq; partem arcendis sceleribus exemplum nobile esset, præmiũ, pecunia ex ærario, libertas & civitas data. Ac Inlium Cæsarem omnes medicinã Romæ professos, & liberaliũ artium Doctores, quò libentius & ipsi urbẽ incolerẽt, & cæteri appeterent, civitate donasse, Sueto. Tranquill. in vitâ ipsius scriptũ reliquit. Quod peractũ reputabatur, usu concesso togæ, quæ civium Romanorũ erat insigne. *l. 32. de Iure Fisci, ubi V. Gothof. in not. Hillig. ad Don. li. 2. c. 16.* Et tanquã ingens honos, nõ nisi ægerrimè indulgebatur. Cum enim sub liberâ Rep. penes populum Romanum omnis esset Majestas, eandem cum Provincialibus Bello subactis, quos Dominicâ imperandi ratione regebant, cõmunicare, uti vix tutũ, ita inconveniens erat regulariter. *D. Præs. in Oeco. tit. 5. & 6. lib. 1. ff. & ult. Bus. 2. Pol. c. 3. n. 6.*

* *Tacit. lib. 3. Annal.*

Liv. lib. 2. Hist.

42. Quamvis autem temporis decursũ Antoninus Imperator, sub specie Provincialibus commodandi, sed revera quo omnes sibi subjectos insigni exæquaret stratagemate, & ex civibus liberis verè subditos faceret, hoc jure omnes orbis Romani incolas ingenuos donarit: *l. 17. de Statu hom.* ac ut Roma communis patria haberetur, effecerit. *l. 33. ff. ad Municip.* Illius tamen privilegii, etiamnũ quoddam supersit simulachrum, quod honoris causâ ob virtutis scientiæq; insignis famam, quibusdam tribui, testatũ ipsa facit experientia; eiusq, meritò sibi concessi, describit formulã, vir incomparabilis, Mich. Montanus *au. 3. des Essais. chap. 9.* Ac inter multas alias collaudandas Helvetiorũ consuetudines, hæc imum sibi haud vindicat locũ, quòd Romanorum insequentes vestigia, Civitatis Jus, benè de se meritis illustribusq; nonnunquam largiuntur personis. Nec Ludovicus XI. Galliæ Rex, id sumere olim est dedignatus. *Comina lib. 6. c. 4. D. Præs. lib. 1. polit. c. 11. n. 14.*

43. Huc pertinent etiam Honoristituli plerique, & non ii solùm, queis diversa personarum merita apud Romanos insignibantur, multis jam retrò seculis: ut sunt Superillustrium, Illustrium, Spectabilium, Clarissimorum Perfectissimorum &c. qui in ff. & C. occurrunt hinc inde, quàm frequentissimè. *V. Vult. lib. 1. Iurispr. R. Cap. 6.* Sed & illi, quos pro Regionum, Gentium personarumq; multijugi differentiâ, sine opum tamen potentiæq; vel minimo plerunq; auctario, cõferre prudenter norunt multi Principes. Quod enim eos facilius dona quàm dignitates largiri, honorumq; præmia in statu populari frequentiora esse, complures magni nominis Politici statuunt: id ego cum Piccolomineo *Phil. mor. gr. 10. cap. 20.* verius de priscis illis seculis, quib. sæpius vi, dolo, ac astutiâ, quàm nostrorũ exemplo temporum, legitimâ fu. cessione vel electione, Regia arripiebantur sceptra, prædicari posse

HONORIS TITULI.

posse putarim; cum uti evidentissima attestatur omnium dierum experientia, non nisi in Monarchiis hodiè, tituli, dignitatesque, hoc est Bona verba, rarenter verò optimæ Res, sicut in aliis Rerump. speciebus, adquirantur. Quod ut ut sit, sunt sanè merita nova honoranda & novis vocabulis: ita Vespasianus Consul retulit, Patrem Senatus appellandum esse Claudium, quippe promiscuum Patris patriæ cognomentum; nova in Remp. merita, non usitatis vocabulis honoranda.

V. Conestag. de Portug. & Cast. coniunct. lib. 8.

Tacit. lib. 11. Annal.

LAUDES.

43. Laudes denique silentio non prætereundæ, & à Principali ore procedentia encomia: quæ mereri omnes bona facientes, Imperator Fridericus ait, *in Auth. Habitá. C. Ne filius pro patre.* Sic, qui laudabiliter se in officio habuerunt, publicè commendandi sunt. *l. iustissimos. 3. de off. Rect. prov.* Et fiet talis commendatio per sententiam proferendam in syndicatu ipsorum, uti loquitur Paris de Puteo, *in tract. de Syndic. in princ. per textus ibi alleg. nu. 5. & seqq.* Est quippe, uti vetus sonat proverbium, Ἥμισυ παντὸς ἔπαινος, maximè cum quis se mereri putat: laus enim sine conscientiâ actionum, uti ab adulatoribus plerunque deferri solet, nullum honestatis fructum habere potest. Et quamvis ad præconium earum, illis nos respondeamus indignos, calidusque rubor ora perfundat; anima tamen ad laudem suam intrinsecus lætatur. Eamque militibus inprimis, egregium omnibusque aliis donis maius esse incentivum, omnes uno ore testantur Historici. Inter Romanos sanè ævi adhuc aurei, gloriæ maximum erat certamen, quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici dum tale facinus faceret, properabat; eas divitias, eamque bonam famam, magnamque nobilitatem putabant; laudis avidi, pecuniæ prodigi erant. Et verba cum magno haut constent: sed ex eo mercium genere sint, quibus utille, *d'un picciolo capitale si fa grandissimo guadagno*; perspectu inde facillimum est, quàm multa Princeps vel Resp. habeat media, subditorum officia vilibus etiam rebus, imò fumo quandoque remunerandi. *V. omnino Boccal. cent. 2. Ragg. 52 & 65. Ammirato 2. discurs. 2.*

D. Hieron. ad Sabinian.

Sallust. Catilin c. 7.

PRIVILEGIA MILITUM.

42. De symbolis honoris, quibus quævis Reip. commendata generosi animi præstantia remuneratur generaliter, dictum hactenus: ordo nunc exigit, ut & de iis, quæ in specie ob fortia facta Bellica tantùm, quæ item alioquin propter singularem doctrinam, ingeniique solertiam, distribui debeant vel possint, paucis agamus. Prioris generis præmia vel omnibus in universum militibus, ac ita Duci Exercitus cum militibus communia, vel particularia & uni aut alteri partium saltem convenientia sunt. Ad illa refero primùm aliquot militibus indulta privilegia; quibus merita eorum compensanda aut provocanda, optimi quique censuerunt

runt Impp. *l. testamenta 26. inf. ff. de Test. milit. l milites. 13. ff. de re militari. l. numerarios. 4. ibi, sudoribus eorũ beneficium deferentes. C. de Apparitor. mag. mil. lib. 12. l. fortißimis. 3. C. de militari veste. lib. eod. l. veteranis. 9. ibi, remunerantes fidam devotionem militum nostrorum. C. quando provocare non est necesse.* Cum enim ea sit humani ingenii perversitas, ut pauciſſimi suâ contenti sorte, aliena contra jus & fas appetant, eademque vel fraude vel vi apertâ justis possessoribus extorquere, sedulo conentur nisu: vicissim vero jure naturæ, vim atque injuriam propulsare, & ex eo arma armis repellere licere, appareat, *l. ut vim. 3. de I. & I. l. 1. §. vim vi. 27 ff. de viz & vi arm.* idque jus gentium firmarit, ratio Civilis probaverit, & jus divinum permiserit: meritò illi summâ digni reverentiâ, omnique honorum dignitatumque condecorandi sunt fastigio, qui ut alii in pace, in otio, in umbrâ vivere sine solicitudine possint, ipsi in bellum exeunt, solem, pulverem, frigora, imbres, famem, paupertatemque lubentes patiuntur, labores, pericula, quæque homini adversa accidere possunt, ultrò capessunt; qui, inquam, ut alii vivere & benè vivere queant, ipsi corpus, sanguinem, vitamque suam, discrimini exponunt, & omnibus humanis, generosæ cujusdam virtutis amore studioque spontè renuntiant. *Enenck. de priv. mil. lib. 1. cap. 1.*

46. Causam hæc res præbuit laudatiſſimo ac nobiliſſimo legislatoris Romani decreto, quo eos qui pro Rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere; ideoque non minus quàm superstites liberos, parentibus ad excusationem munerum prodesse jubet: *Inst. de excus. tut. in pr. l. bello. 18. ff. eod. l. ult. ff. de vacat.* Ita, ut quamvis universè defuncti liberi patri se excusaturo non prosint. *l. excusantur. 2. §. oportet. ff. de excusat. in pr. Inst. eod. d. l. ult. de vacat.* soli tamen qui in acie ceciderunt, excipiantur; & non tàm memoriæ hominum infixi, quàm in vitam restituti, imò conservati præclariſſimæ mortis decore, censeantur. Hinc quoque est, quod ampliſſima Præfectura, nullam habet in militares viros potestatem; *l. 1. C. de offic. mag. mil.* sed proprium habent Judicem, Magistrum nimirum seu Ducem suum, sub quo militant, & quidem in omnibus tàm civilibus quàm criminalibus causis, *l. magisteriæ. & ibidem Gl. C. de Iurisd. omn. Iud. l. 1, C. de exhib. & transmitt. reis. l. fin. in pr. C. de re mil. l. 2. C. de off. magistri mil.* Idque quò milites causarum suarum expeditiore, meliore ac securiore decisione, præmio ut innui afficiantur, minimèque læsionem aliquam seu dispendium patiantur. *d. l. fin. in pr. C. de re milit. lib. 12.*

47. Ex eodem scaturiunt fonte & alia quædam, iis quilegitima tractant arma, liberaliſſimâ Principum manu indulta privilegia. Vt quod de sententia legum nostrarum, neque tormentis neque plebejorum pœ-

nis, vel ipsi vel eorum liberi subiici possunt, etiamsi non emeritis stipendiis videantur esse dimissi. *l. milites. 8. C. de Quæst. l. 3. §. 1. ff. de re militari. l. nullus. 4. C. ad L. Iul. Maiest.* Et universè privatis mitius puniuntur: *l. ne cui. 32. in f. C. de locato.* damnatique ex delicto, unde paganus damnatus infamaretur, non infamantur. *l. frustra. 7. ubi Ioann. de Platea & Gl. C. de re milit. lib. 12.* Quoditem donationes rerum immobilium vel se moventium, quas Duces seu magistri militum, fortissimis præstant militibus, etiam excedentes summam quingentorum aureorum, insinuatione non egent. *l. si quis pro redempt. 36. §. 1. C. de Donat.* Quod condemnati, dignitatis & existimationis, itemque salutis tuendæ causâ, eatenus solùm quatenus facere possunt, solvere coguntur, nec ultra tenentur: *l. miles. 6. in pr. & ibi communiter. Dd. l. item miles. 18. ff. de Re I. l. si castrense. 7. ff. de Castrensi peculio.* ipsorumq; sic est habenda ratio, ne egeant. *l. 173. de Reg. I.* Quod realiter non sunt citandi, capiendi, aut in carcerem ob debitum civile conjiciendi. *Covarruv. lib. 2. resolut. c. 1. num. 4. Menoch. de arbitr. Iud. lib. 1. quæst. 88. num. 9. M. Brunus de cess. bonor. quæst. 11. quartæ princip. num. 1. & 16. Caccialup. de debit. suspect. q. 5. num. 12. Gail. lib. 1. observ. 48. num. 6.* nisi suspecti sint de fugâ instanti; ut docent, Caccialup. & Brun *ibid. ille num. 21. hic num. 16.* Quod stipendia eorum insolutum adjudicari, aut retineri non possunt, dum rei judicatæ aliâ potest satisfieri ratione. *l. stipendia. 4. C. de execut. rei iudic.* Quod Castrensis intuitu peculii, filiifamilias milites, Patriâ exemti sunt potestate. *l. 1. in f. & l. 2. ff. ad SCtum Maced. l. ult. in f. C. eod.* Quod omnium personalium mistorumque, & fortassis ex parte etiam patrimonialium munerum immunitatem habent. *l. 3. §. 1. & §. decaprotos. 10. l. cura. 4. §. ult. l. ult. §. pen. ff. de Muneribus. Enenck. h. lib. 2 priv. 30.* Quod armorum ipsis expresè concessus est usus. *Nov. 17. §. fin.* Quod etiam propter omissas professiones pœnâ commissi non tenentur, dummodo vel postea si quæ portoria eos debere apparuerit, exsolvant. *l. 3. C. de Vectigal.* Quod denique liberam Testamenti factionem habent; hoc est, ut quomodo velint & possint, testentur. *t. t. Inst. ff. & C. de Testamento militum.* Quantum vis enim simplicitatem, nimiamque militum imperitiam, cui consulere Imperatorem æquitas jussit, huic occasionem præbuisse privilegio constet, *ex pr. Inst. h. t. l. 1. & l. 40. ff. eod. l. 3. C. eod.* Præmii tamen etiam causâ id eis collatum esse, docet. *l. Testamenta. 26. §. 1. ff. d. t.*

48. Hæc sunt ferè jura particularia, quibus pensitare Impp. voluerunt molestias eorum, qui numeris & signis suis jugiter inhærentes, Remp. à quâ aluntur, ab omni bellorum necessitate defendunt. *l. 31. C. de Locato.* Reliqua, partim ob imperitam eorum simplicitatem, partim vero ob disciplinæ

ciplinæ militaris conservationem, aliasve inductas rationes, vid. potes apud Illustrem Enenckel. & Claudium Coteræum, *tr. de Iure & privil. milit.* Dn. Bocerum *in tract. de Bello. cap.* 16. *& seqq.* Præterilla autem, quam propensâ modo laudati Principes erga fortissimum hoc hominum genus affecti fuerint semper benivolentiâ, quantoque eorum excitare virtutem studio, præmiisque ac immunitatibus devincire sibi tentarint, ex historiarum liquet monumentis: De Julio Cæsare ita Sueton. Tranquillus in vita ejus. *Cap. 67.* Delicta, inquit, neque observabat omnia, neque pro modo exsequebatur, sed desertorum ac seditiosorum inquisitor & punitor acerrimus, connivebat in cæteris. Ac nonunquam post magnam pugnam atque victoriam, remisso officiorum munere, licentiam omnem passim lasciviendi permittebat, jactare solitus, milites suos etiam unguentatos benè pugnare posse; nec milites suos pro concione, sed blandiori nomine commilitones appellabat: habebatq; tam cultos, ut argento & auro politis armis ornaret. &c. quibus rebus etiam devotissimos sibi reddidit. Et extat elegans in eandem quoque rem apud Senecam narratio; causam dicebat, ait, apud D. Julium ex veteranis quidam, paulo violentior adversus vicinos suos, & causâ premebatur. Meministi, inquit, Imperator, in Hispaniâ talum te torsisse circa Sucronem? cum Cæsar meminisse se dixisset. Meministi quidem sub quadam arbore minimum umbræ spargente, cum velles residere ferventissimo sole, & esset asperrimus locus, in quo ex rupibus acutis unica illa arbor eruperat, quendam ex commilitonibus penulam suam substravisse? Cum dixisset Cæsar: Quidni meminerim & quidem siti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, nisi commilito, homo fortis ac strenuus, aquam mihi in galeâ suâ attulisset: Potes, inquit, Imperator, agnoscere illum hominem & illam galeam? Cæsar ait, se non posse galeam agnoscere, hominem pulcrè posse: & adiicit, puto ob hoc iratus, quod se à cognitione mediâ ad veterem fabulam abduceret, tu utique illi non es. Meritò inquit Cæsar, me non agnoscis. Nam cum hoc factum est, integer eram; postea ad Mundam, in acie oculus mihi effossus est, & in Capite ejecta ossa. Nec galeam illam si videres, agnoscere. Machærâ enim Isponiâ divisa est. Vetuit illi exhiberi negotium Cæsar, & agellos, in quibus vicinalis via causa rixæ ac litium fuerat, militi suo donavit. *Lib. 5. de Benef. cap 24*

49. Verum enim vero, ne quasi Evandri aliquid recitantes matri, reprehendamur, & enarrata militum privilegia quæque de iis dici possunt, tanquam nostris invalida temporibus, nihil utilitatis præter levem quandam

dam & inanem obsoletæ antiquitatis cognitionem adferre, quis fortè suspicetur; operæ pretium duxi, & illud superaddere, ea etiam ad hodiernos veros milites, qui expeditionis bellicæ causâ instructi, quod verbo profitentur, re factoq; præstare parati sunt, spectare; *uti tenent Gl. Bart. & Dd. in l. filiusfamilias. 8. §. veterani. ff. de Procurat. Specul. tit. eod. §. 1. nu. 12. Socin. Sen. consil. 33. num. 4. vol. 3. Zasius cons. 6. num. 20. cum seq. vol. 1. Gail. lib. 2. observ. 118. num. 2. & Dd. alii, quos magno recenset numero, ac sequitur, Dn. Bocerus tr. de Bello. Cap. 23. num. 8. argum. l. ordo. 8. ff. de pub. Iudic. Iac. Benius de priv. IC. par. 2. concl. 38. n. 3.* Quod enim mutatum vel abrogatum non est, cur stare prohibeatur? *l. sancimus. 27. C. de Testam. l. præcipimus. 32. in f. C. de Appellat. l. etsi à Patre. 2. C. de Testament. tutel.* Præsertim cum eadem in militibus nostris militet ratio, ob quam veteribus illis hæc concessa Jura. Vbi autem eadem ratio, ibi idem quoque debet esse jus, nisi contrarium expressè inveniatur in aliqua lege. *l. illud. 32. & ibi Gl. v. existimari. ff. ad. l. Aquiliam. l. 3. & ibi gl. ff. de iniusto rupto.* Adversa ergo Doctorum quorundam opinatio, de iis est subaudienda omnino, qui vel similitudine aliquâ aut imagine, vel ex parte tantum aut in speciem, nomen sibi militare impropriè sumunt; aut qui (*ut cum Imper. loquar, in l. 9. C. de cohortalibus.*) vano militiæ nomine immania sectantur lucra. Quod post Decium *ad Rubr. C. de Testam. mil. num. 3. 4. & 5.* Dn. Bocerus *d. lo. n. 7.* prudenter monet.

PRIVILEGIA VETERANORUM.

50. Porrò Imperator, *in pr. Inst. quibus non est permiss. fac. testam.* duo quasi militum genera facit, militantium videlicet, & dimissorum à militiâ seu veteranorum. Et milites alios in actu esse militiæ, alios sine actu ut veteranos, Gl. ait, *in l. filiusfamilias. 8. §. veterani. ff. de Procuratoribus.* Militum ergo nomine etiam veterani, licet impropriè & ob memoriam potius pristini Status, veniunt. *l. sed & milites. 8. in pr. ff. de excusat. Tit. & Rubr. ff. de veteranor. & milit. succeff.* De illis autem, quamvis idem quod de veris modò militibus ferri nequeat Judicium, utpote quorum tùm nomen tùm Jura, cum reliquâ priscâ militia, penè evanuisse palàm est; quoniam tamen, quantoperè glorioſissimi omnium seculorum Principes suâ ut bellica virtus accipiat præmia, curarint, quidq; eâ in re fieri etiamnum debeat, simplici strictiorique animus est declarare stylo, haud abs re facturum me arbitror, si & de illis quædam ad propositum maximè spectantia, subnectam. Et primùm quidem originem quod attinet, reperire in jure nostro licet, Imperatores, Antonium, Gordianum, Constantinum, Diocletianum, Maximianum, Justinianum, & alios, qui veteranorum privilegia vel auxerunt, vel confirmarunt, inprimis vero singularem ad id textum, *in l. 1. C. de Veteranis. lib. 10.* Quis tamen initium, tùm privilegiis

istis,

istis, tum ipsi veteranorum ordini dederit, aliunde meo quidem petendum judicio.

51. Fuisse autem ipsam nominis notationem insigne antiquis præmium, promiscuamq; olim Heroum ac veteranorum appellationem, & utriusque inventorem Dionysium, ex Thucidide Æneas Sylvius, apprimè deducit. Is enim cum Indiam primus armatus, & cum exercitu invasisset, ac rudes illos & agrestes homines, corticibus arborum & crudis ferarum carnibus utentes, in urbes legisset, boves aratro jungere, frumenta serere, Deos colere, & alia edocuisset complura, jamque abire & alias lustrare cogitaret regiones; fuerunt multi in ipsius comitatu, qui jam senio confecti, & assiduis attriti laboribus, neque remanere sine Rege, neque sequi Ducem volebant, recessurumq; Principem lachrymis & fletibus obsecrabant, ut sui misereret. Ad quos Liber pater, ponite curas, inquit, commilitones fratresq; mei, diu pugnastis, diu me secuti estis; ego alia ex aliis in fata vocor, vobis jam parata quies est, & hic præmia laborisvos manent. Sistite hic & urbem hanc, terram quam vestri mihi lacerti quæsiverunt, possidete. Ego vos hodie militiæ laboris absolvo, veteranos milites esse volo, Heroasq; vocari &c. *Epist. 126.*

52. Dionysii postea insequentes exemplum, quotquot famam nominis per arma quæsivêre Impp. quas ille veteranis suis concessit immunitates, omnium hoc merentium nomen, voluerunt esse communes. Inter quos Octavianus ille eminet verè Augustus, qui cum submerso Cantabro, terrà marique pacem haberet populus Romanus, clausissetque denuo Jani portas, elegantiâ & benignitate plenam fertur tulisse legem, quam ut hujus loci propriam, exscribere placuit. Omnes, inquit Imperator, mortales, idcirco exercere se solent, & objectare periculis, ut aliquando pace frui quietè possint. Nec labor est ullus qui præmia non expectet. Ea propter majores nostri militibus qui benè pugnavissent, non solum stipendia, quibus se suamque possent nutrire familiam, sed honores amplissimos constituerunt; ut Coronas, armillas, hastas, & alia virtutis insignia, quasi solamen & præmium laboris exacti. Similiter & nos facere decet, qui diis faventibus & magnâ virtute militum, rem Romanam restituimus, & altam pacem toto reformavimus orbe; ne milites qui longa & durissima nobiscum bella peregerunt, ac plurimum sanguinis tùm sui tùm hostium effuderunt, sine mercede tanti laboris evadant. Quisqué ergo per decennium nobiscum militaveris, si modo quadragenarius fueris, sive pedes sive eques stipendia merueris, militiâ posthâc & omni labore vacato: Heros esto, veteranusque miles. Nemo te Civitate, foro,

templo, hospitio, domo prohibeat, nemo tibi crimen ascribat, onus imponat, pecuniam ex te quærat. Si quid peccaveris, solam Cæsaris vindictam expectato. Quidquid turpitudinis admiserint homines, te judicem propalatoremque timeant, seu privati seu Principes fuerint. Quod dixeris affirmaverisque, nemo falsum arguat. Libera & aperta tibi omnia itinera locaque sunto. In ædibus Principum, mensa tibi potusque esto. Stipendia, quibus te tuamque domum serves, ex publico quotannis habeto; quam legitimâ face duxeris uxor, cæteris fœminis præferatur: quem exprobraveris infamemque dixeris, hic reprobatus homo & infamis esto. Arma, insignia, nomina & ornamenta Heros ferto, quæ Reges decent. Quæ dicere & facere velis, ubivis gentium, locorum, nationumque facito. Si quis tibi injurius fuerit, cervice careto: utque senectuti tuæ quietius, Cremonensium qui contra vos Anthonii partes foverunt, agros tibi, tuique similibus viritim dividendos assignamus; qui si pauci fuerint, addimus & Mantuanos, ut bonâ fide & altâ virtute profuisse te Reip. gaudeas. Sic veteranos suos, Augustum remunerasse confirmant. *Et. v. Hippol. à Collibus. in Principe cap.* 17.

53. Hæcque in libros Juris nostri à compilatoribus ut relata non sint, alia tamen eorum haud contemnenda extant ibidem privilegia. Qui enim post vicesimum annum militiæ, quam in legione vel vexillatione militaverint, honestam vel causariam missionem consequuti sunt, onerum ac munerum personalium omnium vacationem, immunitatem item ab operibus publicis, à collationibus extraordinariis, à deportoriis, & ne quid civitatibus vel publicanis ob venditionem proponendam præbeant, habent in perpetuum. *l. ult. C. de his qui non implet. stip. l. 1. C. de veteranis. l. 2. & l. ult. ff. eod. l. 9. C. quando provocare non est necesse. l. 2. C. de re milit. lib. 12. l. 1. C. de his qui sponte muner. &c.* Ejusdem farinæ est, quod quamvis milites agrum eâ in provinciâ in quâ militant, comparare non possint, *l. 9. l. milit. agrum. 13. ff. de re militari. l. 62. ff. de contrah. empt.* Interim tamen qui contra disciplinam agrum comparaverit, & nullâ de eâ re quæstione motâ, missionem acceperit, inquietari prohibetur. *d. l. milites agrum. §. 1.* Illud enim præscriptionis commodum, præmii loco veteranis concessum intelligi. §. prox. subsequens docet. Eodem censendum loco, quod veterani si filiifamilias sint, haud secus ac milites peculium habent castrense, deque eo testari aut aliter statuere, modo tamen licito, hoc est jure communi, tanquam patres familiæ possunt. *in pr. Inst. quibus non est permissum. fac. testam. l. ult. C. de inoff. test. l. 114. in pr. de Leg. 1. l. Arist. 9. ff. de iure codicill.* Quodque tandem honor iisdem, etiam in eo habitus est, ut

tam

tam ipsi, quam liberi eorum primi gradus, pœnâ metalli vel operis publici non afficiantur. *l. honor.* 5. C. *de pœnis.* & in genere à plebeiis quantum ad hoc separati, illorum pœnis vel quæstionibus non subiiciantur. *l.* 1. *& l.* 3. *ff. de veteranis, iunctâ l.* 9. § *ista ferè ff. de pœnis &c.* Et tantum de privilegiis, quæ ut Imperator loquitur, *in l.* 9. C. *Quando provoc. non est necesse.* remunerandæ fidæ devotionis ergo, militibus veteranis concessa sunt.

ORDINES EQVESTRES.

54. Atcum inter omnia Virtutis præmia, queis apud Europæos hodiè Viri fortes condecorari solent & strenui, dignitas Equitum, quos Romanorum exemplo ab ornamentis, auri nempe præcinctura, vel auratis calcaribus, generali nomine Auratos nuncupant, præeminentiam sibi vindicare videatur singularem, & ad solia veluti ascendens Regia, omnis nobilitatis civilis vertex, & pro tribunali quasi Judex sedeat; de eâ pro subjecti etiam magnificentiâ, meritò dicendum nunc foret pluribus: sed ne illustre argumentum, ex antiquitatis fontibus in famæ scenam, haud ita pridem à Belgis duobus, viris Doctis, Auberto nimirum Miræo & Francisco Mennenio eleganti stylo sufficienter productum, vanâ & tadiosâ insimul describere cogar operâ, ad eos curiosum remittens lectorem, Authoribus ferè tantùm & insignibus Equestrium ordinum percensitis, de Juribus ipsorum pauca subiiciam.

55. Equites autem omnes, quos vulgò Ritter / Idiomate Gallico *Chevaliers*, Italico *Cavalieri*, Hispano *Cavalleros* vocamus, aut soluti specialis alicujus instituti legibus, nullum constituunt collegium; aut certæ cuidam societati addicti, ejus præfecto vel magistro obligationis quodam nexu devincti sunt. Prioris generis Equites, vel à sacris locis ritu Papistico peregrinando visitatis, absque prævio singulari quodam alio in Remp. merito, nomen atque insigne accipiunt, & huc propriè non pertinent: quales sunt Equites Jerosolymitani, seu sacri sepulchri, qui à Guardiano Franciscanorum, dictâ in urbe creantur; Equites S. Catharinæ, qui ad montem Sinai, mediâ rubei coloris rotâ gladio transfixo insigniuntur: Equites, item S. Petri, itemque Lauretani, Pii, Julii, & alii multi à Pontificibus Romanis introducti. Vel sub generali Equitum auratorum nomine veniunt, & Ritter linguâ vernaculâ, sine adjectione aliqua indigitantur: quales sunt, qui à summo quodam Principe, habitâ generis, Virtutis, aut rerum domi forisque benè gestarum ratione, stricto gladio, humeris leviter percussis, & flexis genibus hanc accipere solent dignitatem; quemadmodum in coronationibus ferè Regum aut Imperatorum Romanorum, Caroli Magni adhibito ense, solenniter fieri videmus; idque in testimonium haud dubiè noviter adquisitæ Majestatis, cujus uti omnis

præmio-

præmiorum distributio, ita Equestris inprimis collatio dignitatis, Jus est haud postremum. *Papon au. 5. des Arrests, tilt. de la Noblesse. Dn. Præses lib. 1. Polit. cap. 3. num. 50. Franc. Mennen. de Equestr. ord. & c. pag. 24. & 35.*

56. Qui certæ cuidam societati collegiove addicti sunt Equites, aut Cruciferi à crucis insigni, & spirituales seu Ecclesiastici (partem quoniam tota ipsorum militia adversus hostes fidei comparata est, partem quia militiæ sacros quoque ordines conjungere solent) appellantur; aut Torquati audiunt. Illos quod attinet, principia si spectemus institutique incunabula, ad connumerationem symbolorum honoris quadrare conditio eorum haud videtur, & spontaneæ potius exinanitionis spretæque gloriæ mundanæ testimonium, quàm præmium humanam redolens vanitatem censenda; verum si media, per quæ ad eos hodiè pervenitur ordines, Principalem & penè Regiam eorum quæ accessit Magistris dignitatem, beneficiorum annexorum commoda, & nobilitatis denique, singuli quo cohonestantur Equites, illustre augmentum, si sub considerationis revocaverimus trutinam, quin aliud dicendum existimemus, nullus dubito. Inter omnes autem (ut ad rem aliquando) præcipui maximè & antiquissimi sunt, 4. illi sacri militiarum ordines, qui Onuphrio Panvino attestante, unà fermè, & eo quidem tempore, quo terra sancta Christianorum Principum expeditionibus celebris esse, Christianoque nomini recuperari cepit, Hierosolymis aut instituti aut restituti amplificatique fuêre: Hospitaliorum qui & S. Johannis, & Rhodii dicti sunt, Templariorum, S. Mariæ Teutonicorum, & S. Lazari.

Ital. *Cavaleria di Croce.* Gall. *Religion.* Hisp. *Habito.*

In Chronic Eccleſiaſt. ad annum. 1119.

57. Equitum Hospitaliorum S. Johannis ordo, nunc post amissam Rhodon Melitæ residens, ortum ac nomen suum trahit à Xenodochio, Hierosolymis olim à Johanne Eleemosynario, Patriarchâ Alexandrino, ad receptionem pauperum piè extructo, Divoque Johanni Baptistæ dicato: in quo cum Gerardus quidam, diu egenis devotè ministrasset, liberatâ per DEI gratiam, à Godefrido Bullonio salutis nostræ civitate, ab impiorum jugo, honestos sibi adjunxit viros; crucem albam Honorio II. Pontifice annuente, vestibus nigris adfixit; sicque ordini huic, cujus defuncto Gerardo, primum se Raymundus de Podio Magistrum dixit, initium dedit, qui etiam temporis successu, magnificis multorum largitionibus, eleemosynis devotorum, & Templariorum tandem bonis, ad eam crevit magnitudinem; ut in cunctis penè Christiani orbis Provinciis, sua sibi hodiè opulenta vindicet loca. Nomen hi iidem à Rhodo mutuavere diu; quod Christianorum rebus in Syria perditis, Insulam illam, circa A. C. 1309. captam, belloque Saracenis ereptam, ultra ducentos te-

tos tenerent annos ; eam autem cum ſuperioris ſeculi anno 23. Turcis concedere cogerentur, Melitam à Carolo V. Imperatore ipſis donatam, fortitudinis ſuæ ſedem conſtituerunt fixam, & tanquam obicem ac munimentum Chriſtianorum inſuperabile, ſub auſpiciis Principis ſui, ſeu Magni ut vocant Magiſtri, contra infeſtos Turcarum inſultus defendunt ſtrenuiſſimè.

58. Templariorum ordo (à Templo Domini, juxta quod primitus Hieroſolymis manſionem accepit, ſic dictus) Principes habuit fundatores, Gallos, Hugonem à Paganis & Gaufredum à S. Aldemaro: cumque ſummas jam adquiſiviſſet vires, immanium coram Clemente V. Pontifice & Philippo Pulchro Galliæ Rege accuſatus ſcelerum, quotquot ejus in Regno illo comprehendi potuere, necati ſunt: pauloque pòſt, ordo univerſus, in concilio Viennenſi An. 1312. Patrum decreto damnatus, & omnimodè extinctus eſt.

59. Ordo Equitum Teutonicorum S. Mariæ in Germaniâ adhucdum celebriter vigens, initium ſuum Vitriaco teſte, pio cuidam & religioſo Teutonico tribuit; qui popularium ſuorum Hieroſolymas migrantium bono, hoſpitale ibi & ſacellum Divæ Deiparæ ſacrum, ſuis exſtrui curavit impenſis. Quod charitatis opus, cum aliorum quoque Germanorum ita excitaſſet pietatem, ut patriâ relictâ, & ſe & omnia ſua pauperum dedicarent ſervitio, ex iiſque haud pauci nobili oriundi eſſent ſtemmate, officio fratrum Hoſpitalis S. Johannis primario (cui dediti antea ſolùm fuerant) Templariorum militarem quoque adjecerunt curam; crucibuſque nigris, albis chlamydibus appoſitis, Duce Henrico Walpot, primo ordinis Magiſtro, fidelium contra Barbaros, ſtrenuam ſuſceperunt defenſionem. Captâ autem urbe Ieroſolymitanâ, à Saladino Saracenorum Duce, collegium & hoſpitale ſuum Aconem ſive Ptolemaida tranſtulerunt; inde, ut ex totâ item Syriâ, cum Cæteris Chriſtianis expulſi, in Occidentem, Friderico II. Imperatore conſentiente, migrarunt, & Polonorum contra Boruſſos, tum Chriſtiani nominis hoſtes, tamdiu ſuſtinuere cauſam, donec Provinciâ illâ in prædam ipſis à Conrado Mazoviæ Duce conceſsâ, ac fortiter debellatâ, ductore Hermanno Salzâ Magiſtro, Chriſti inibi plantarent nomen. Sed poſtea à Regibus Poloniæ ſtirpis Jagellonicæ, continuis laceſſiti bellis, Boruſſorumque defectione, in extremas adacti anguſtias, quam proprio nomine conſervare non poterant regionem, tanquam Feudum recognoſcere à Poloniæ Rege coacti fuerunt; idque ad Albertum uſque Brandeburgicum, qui ex Magiſtro ordinis Teutonici, Pruſſiæ Dux factus eſt, & mutatâ religione matrimonio-

Cap. 66. Hiſtor. Orient.

que contracto, eam ad heredes transmisit. Hoc ergo pacto, Prussiâ (quam tribus ferè tenuit seculis) ordo hic privatus, nil nisi bona in Germaniâ & Italiâ sparsim sita, retinuit, quæ Magni Magistri nomine etiamnum Serenissimus Carolus Austriacus, Ferdinandi II. Imperatoris nostri germanus, possidet; iisdemque multos è Germanâ nobilitate, qui omnes crucem nigram limbo argenteo insignem, chlamydi adsutam, & alteram ex collo pendentem præferre solent, sibi devincit, obligatamque tenet.

60. Ordo S. Lazari, à S. Basilio Cæsariensi Episcopo, ut aiunt, conditus, à Pio IV. Pontifice, post aliquot seculorum decursum renovatus, & militiæ tandem S. Mauritii à Papâ Gregorio XIII. conjunctus fuit: qui *Anno. 1572.* etiam Sabaudiæ Duci, Magisterium, summamque illius ordinis detulit præfecturam; locoque viridis crucis, olim nudè gestari solitæ, alteram caudidam, clypei medio, pro tesserâ adjecit.

61. Horum in Palæstinâ natorum exemplo ordinũ, etiam inter Occidentales & Septentrionales, alii suscitare alios inceperunt. Albertus Livoniæ Episcopus, Militum ibi Christi collegium seu Gladiferorum (quod ensis rubri signum cum cruce pallio insutum, aut verius binos gladios formâ crucis decussatim positæ rubescentes, præferrent) circiter annum 1200. excitavit: idque cruciferis Teutonicis haud multo post unitum, segregavit iterum ineunte priore seculo, Waltherus Platenbergus, & extinxit tandem Sigismundus Augustus Poloniæ Rex, Gotardo Ketlero *Anno. 1561.* postremo ordinis Magistro, Curlandiæ & Semigalliæ Duce creato. In Castellæ Regno ordines 3. ad profligandos Mauros eximendosque eo- *Ab Anno. 1158. & sq. ad annum. 1170.* rum servitute Christianos, à Canonicis, Monachis & Nobilibus privatis, intra duodecennium instituti fuerunt: Equites nempe Calatravæ, qui veste utuntur candidâ, quadrato crucis rubræ signo notatâ; S. Jacobi de Spatha, quibus in veste superiori crux rubra, in gladii militaris modum conformata, pro insigni est, & Alcantaræ, qui crucis viridis figurâ floridâ in candido scapulari ad lævam, à Calatravensibus distincti sunt. Hi omnes cum deturbatis Mauris, ad ejusmodi excrevissent fastigium, ut multis plus æquo formidabiles viderentur, eorum sublatis paulatim Magistris & Prioribus, administratio omnis, Papalis obtentu potestatis, Regibus cessit Hispaniæ. In cujus districtus Provinciis cæteris, aliæ quoque ejusdem ferè generis ortum sumpsere societates. In Aragoniâ qui adhuc sub unius regimine Magistri, Barcinonæ residentis, duplex viget ordo: S. Mariæ de Mercede, seu Redemptione captivorum, à Jacobo. 1. illius Rege Anno. 1232. inchoatus est; ejusque milites crucem albam, rubro in clypeo regiis Aragoniæ insignibus superimpositam, pro tesserâ gestant. A.

Jacobo

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [36] - 32

Jacobo item. II. in Valentiæ Regno, Collegium Militum Monteſiæ, quod oppidum ſedem præcipuam & nomen eis dedit, ſub inſigni rubræ ſimplicis planæque crucis, in veſte albâ, inſtauratum, bonisque Templariorum dotatum fuit. Quorum ruina, ſummum etiam incrementum Equitibus Chriſti apud Lusitanos dedit, cui ordini eo Regni hodiè nobiliſſimo, & cruce rubrâ aliâ interſecante candidâ, in atro amictu diſtincto, Dionyſius Portugalliæ Rex, Anno 1320. fundatorem ſe præbuit Alium eodem in Regno & antiquiorem multò, Alphonſus I. Rex conſtituit, qui Eborenſes primo, Aviſii poſtea dicti, & Calatravæ tandem Equitibus juncti fuere. In Italiâ ad ipſius pacificandas civitates, ordo militaris titulo S. Mariæ glorioſæ, à Bartholomæo Vicentino ordinis Prædicatorum, Anno ferè 1233. excitatus eſt; & fortaſſis hincinde obſcuriores aliquot alii, quorum curiosè ſcrutari inſtituta, non è re eſſe inſtituti, duco. *Anno. 1319.*

62. Supereſt ergò, ut & de iis quos Torquatos diximus Equites, non nulla jam ſubijciamus. Nomen hi à Torquibus aureis, queis in virtutis præmium ab ordinum condecorantur principibus, apud Latinos ſortiuntur: quemadmodum & antiquis temporibus, Titum Manlium, robuſti & proceri corporis virum, in Bello contra Gallos monomachiâ devicto, torquem dono accepiſſe aureum, eòque Torquatum ſemper audiviſſe legimus. Eâdemque etiam ratione, apud Italos *Cavalieri di Collana* nuncupantur: & ii ſunt, quos ſummi proceres vel amicitiæ causâ, vel ut culmen honoris benemeritis addant, in ſua recipiunt collegia Equeſtria, inter quod Principem facilè locum perilluſtre illud Aurei velleris obtinet, quod Philippus cognomento Bonus, Burgundiæ Dux, ſuis cum Eliſabethâ Joannis Luſitaniæ Regis filiâ nuptiis, menſe Januario, Anno 1430. Brugis Flandrorum inſtituit, ſeque & poſteros omnes ſodalitii hujus coryphæos nominans, 24. in id accerſivit viros nobiles, vitâ, nomine, armiſque (ut loquitur ordinis præſes) irreprehenſibiles purpuratos; quorum ſingulis togam coccineam, & aureum torquem inſerto paterno emblemate, ignitabuli ſcintillas ex ſilice extundentis ſpecioſum, attribuit, unde vellus aureum dependet, poſt cujuſque mortem rediens ad collegium, ut alii offeratur benemerito. Prædicto autem numero ab ipſo primùm inſtitutore, ut & poſtea à Carolo V. Imp. adaucto, redactoque ad numerum unius & quinquagintâ equitum, totius tandem negotii ſumma, Philippi III. moderni Hiſpaniarum Regis liberrimo arbitrio in tantum ceſſit, ut is tanquam Princeps Ordinis & multa alia ſuâ gubernet manu, & extra capitulum, quos vult collegio accenſeat Equites, qui in Hiſpaniâ (quod ſingulari honoris prærogativâ, tecto capite coram Rege comparere audeant)

Grandes vulgò indigitantur. *Mennen. de equestr. ord. symb. &c. pag.* 138.

63. Ejusdem generis varia rerum benè gestarum præmia, gerendarumque incitamenta, majorum ætate in Galliâ, distribui cæpta reperimus. Carolus Martellus ordinem Genettæ (de cujus derivatione. V. *Mennen. d. l. pag.* 62. *&c.*) excitavit. Joannes Valesius Francorum Rex, Anno 1351. signum stellæ collari aureo appensum, seu togæ capitio locove conspicabiliori præferendum, dedit. Carolus Dux Aurelianensis & Rex Franciæ eo nomine VI. ordinem instituit Hystricis, baltheo equestri aureo cum Hystrice, symboloque *Cominus & eminus* inscripto, suos condecorans proceres. Eodemque ferè tempore Ludovicus II. Borbonius, Ordinem Cardui D. Virginis instauravit: collare aureum sive argenteum, ex liliis & quatuor floribus cardui crucem in eodem statuentibus, cum inscriptione, *Esperance*, ornamento dans. Renatus Andium Dux, suis figuram Lunæ crescentis, cui axioma illud, *Los en croissant*, inscriptum erat, attribuit. Franciscus Britanniæ Dux, spicæ sive aristæ militarem ordinem, suam ut incitaret nobilitatem, inchoavit. Ludovicus. XI. Galliæ Rex, ordinem Divi Michaelis Anno 1469. orsus est; torque aureo cochleis inter se hærentibus, & appensâ D. Michaelis, cacodæmonem è Cœlo deturbantis imagine, suos insigniens Equites. Quod munus etiamnum dignis & merentibus datur, & in exteros quoque Principes, honoris tanquam ac benevolentiæ singularis arrha confertur: qui tamen si Regum se velint profiteri hostes, torquem per internuntios remittunt, ut omni sacramenti religione soluti, quod animo volvunt, strenuè adgrediantur. Omniũ autem novissimus est ordo S. Spiritus, ab Henrico III. Galliæ Poloniæque Rege, ipsis Calendis Januariis Anni 1579. Lutetiæ institutus: cujus singuli Equites præter splendidum quem inaugurationis die accipiunt torquem, Melitensis formæ crucem, columbam præferentem, pallio adsutam, cum aliâ insuper collo innexâ pensili, fasciâ cæruleâ, quotidiè gestant.

Henry III. fit un ordre nouveau de Chevaliers; peut estre eust il mieux faict, de remettre celuy de S. Michel en honneur: comme l'Empereur Maximilian a esté loué, d'avoir relevé, celuy du toison. P. Matthieu, és remarques d'Estat, ou vie du Sr. de Villeroy. pag. 33.

Anno 1350.

64. Nec intra terminos enarratorum modo locorum, Politicus hic creandi milites inclusus est mos; sed & alibi diu est quod usuvenire occæpit. Eduardus III. Angliæ Rex, ut militarem virtutem honoribus, præmiis atque splendore decoraret, nobilissimam conscripsit Equitum auratorum societatem, quos ob periscelidem suam, in prælii quod feliciter cessit, tesseram datam, Garterii sive Periscelidis nominavit. Utuntur hi pallio cæruleo, tibiamque sinistram corrigiâ fibulatâ, gemmis auroque ornatâ, hæc præ se ferente verba, *Hony soit qui mal y pense*, h. e. Malè vertat ei qui mala cogitat, substringunt. Vulgi tamen alia est opinio, & longâ traditione veluti per manus accepta; Equestre illud collegium suam

debere

debere originem fasciolæ heroidis Salberinæ, casu è tibiâ delapsæ, protinusque à Rege Eduardo peramante collectæ. Alii inventionem ejus multò antiquiorem & digniorem faciunt; quod ut ut sit, sanè in societatem hanc potentissimi quique orbis Christiani Principes cooptari, instar maximi honoris duxerunt: & jam à primâ institutione, in hunc ordinem, qui è XXVI. Equitibus constat, Reges adscripti fuerunt plus minus XX, præter ejusdem præsides Angliæ Reges. In eumque nostrâ adlectus memoriâ, Magnanimus Princeps, Illustrissimi etiam post funera nominis, Fridericus Würtembergicus (qui & Francico antea coruscus erat D. Michaelis torque) non tam suam, quàm universæ Patriæ nostræ, apud exteros mirè dilatavit famam.

65. Cæterum apud Hispanos quoque olim ab Alfonso Castellanorum Rege, militiam quandam Bandæ nomine invectam, diuque in usu fuisse, Historiæ tradunt: Rudolphum item Habspurgensem, Imperatorem, ordinem quendam Equitum S. Georgii, in Carinthiâ, ad arcendos Turcas fundasse, eorumque Magistro Principalem tribuisse dignitatem, ferunt. Apud Scotos, Equites à Rege adscitos S. Andreæ signo donari; apud Danos Elephanti effigiem pro discriminis notâ præferre; apud Suecos torque aureo, quem Cœlestes cherubim cruceseque patriarchales exornent, condecorari, ajunt. Amadeus VI. Sabaudiæ Comes, florentem adhuc Annuntiationis Angelicæ ordinem, donato scil. ex laciniis aliquot & nodis Sabaudicis connexo torque, qui dictionem hanc, FERT, haud semel repræsentat, & imaginem D. Virginis ab Angelo salutatæ appensam habet, Anno 1350. inchoavit. Cosmus Medices, magnus Hetruriæ Dux, Equites ibi S. Stephani nomine insignes, primùm creavit. Vincentus Gonzaga Mantuæ & Montisferrati Dux, paucos ante annos, ordinem equitum Redemptoris Jesu Christi, cujus tessera, baltheus equestris aureus, cum inscriptione, DOMINE PROBASTI, & vetustis Gonzagæ gentis insignibus, adinvenit. Quin & apud Turcas ac Indos, uti earum rerum fidem faciunt scriptores, ejusmodi in usu sunt insignia; quibus rectè comprobationem virtutis, concordiæ, fœderisque perpetui pignus, item & coronam præclarè actorum, communemque inter equites fortunarum æstimationem, contineri, Claudius Paradinus interpretatur. Nos hic vela contrahere jubemur, & ampliorem ordinem omnium descriptionem investigantem, præter supra laudatos Authores, ad Petr. Beloijum, Bernh. Luceburgium, Franc. Sansovinum, Steph. Pighium, Joh. Feronium, Hyeron. Megiserum &c. amicè remittimus.

Hoc Amadei IV. (qui avus fuit Fundatoris) symbolum, ita per singulas exponunt literas; Fortitudo Ejus Rhodũ Tenuit.

In Symbol. Heroicis.

66. Antequam tamen materiæ nunc subjectæ argumentum in totum

immutemus, duo adhuc præcipuè memoranda erunt. Unum est; Equestri dignitate ornatum, Wann einer zum Ritter geschlagen würdt / eo ipso Nobilem, quamvis nullis sit alioquin clarus parentibus, fieri; *arg. l. 2. C. de Primicer. l. un. C. de Equestr. dignit. l. fin. C. de comit. rei milit. Tiraq. de Nobil. cap 8. num. 13. Matth. Steph. de Iurisd. lib. 2. par. 1. cap. 7. memb. 2. Busius disp. polit. 2. thes. 27. Dn. Præses lib. 1. Polit. cap. 11. num. 64.* Nobilitatem vero antea quocunque jure competentem, illustriorem haud dubiè reddi. Unde etiam Equites ordinis Teutonici sive Mariani, & S. Joannis, quibus bona quædam unde sumptus suos capiant, in Germaniâ commendata sunt, origine quamvis simpliciter Nobiles sint, Dominos tamen clementes, vulgò Gnedige Herrn vocari audimus; ipsorum autem Magistri (deß Teutschen Ordens Meister / vnd der Johanniter Herrn oder Maltheser Ritter in Teutschlandt Meister / vel potius Prior) Principibus Imperii, nullâ habitâ ortus ratione, annumerantur. *Gylman. decis. Cameral. 46. num. 150. lib. 1. Dn. Præses de Iurisd. c. 14.* Hinc quoque est, quod non solum hodiè adhuc, Illustrissimarum familiarum Heroas, Equestrem ordinem affectare cernimus; sed & ipsi Reges, olim eodem à Vasallis & strenuis viris ornari non sunt dedignati. Sic Ludovicum XI. à Philippo Bono Burgundiæ Duce, Henricum II. à Mariscallo Bisiensi, Franciscum I. Gallorum Reges, memorabili illâ pugna Meligniacensi à Petro Bajardo, Eduardum IV. Magnæ Britanniæ Regem, à Comite Devoniæ, Henricum VII. à Comite Arondeliæ, Eduardum VI. à Duce Somersetti, aliosque ab aliis Equestris ordinis ornamenta accepisse, legimus.

Questo dee esser creduto in gratia de' Principi, con la schiettezza della mente, con la semplicità del cuore; dice il Satyrico Boccalini, Cent. 2. Ragg. 52.

67. Alterum cujus mentionem faciendam duxi, est; Equites hos, quemadmodum à mediæ ætatis scriptoribus simplici voce Milites appellantur (unde etiam JCti quidam scribunt, quod Miles sit nomen dignitatis, non item Baro. *V. Franc. Mennen. de ord. Equestr. pag. 16.*) ita Militum quoque omnia sibi meritò vindicare Jura & Privilegia. *Iac. Benius de privil. ICtor. part. 2. concl. 38. in f.* Est etenim & ille miles, qui bello ritè paratus est, licet non ipso facto semper inter manus & tela hostium versetur. *l. 15. §. testamentum, & ibi Gl. in versicul. Ante militiam ff. de testam. militis.* Nec hi pro veteranis haberi, & sic privilegiis militum (*per l. 40. ad l. Falcid. & l. 8. §. veterani. de Procurat.*) privari unquam possunt, utpote qui ad finem usque vitæ suæ, sine missione obligati permanent, & non aliter quàm commeatu accepto, à militiâ absunt. Commeatus verò venia, jus militare minimè tollit. *l. un. C. quibus caus. mil. for. præscr. uti non poss.* Idque verissimum & æquitati eatenus conveniens videtur, quatenus illi in officio manent, & ea, quæ institutio ac conditio militiæ ipsorum requirit, exsequuntur, exsequive

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [40] - 36

sequive sunt parati. Quibus verbis, veterum Dd. opinionibus, suam se conformare autumat Enenck. *de priv. milit. lib. 1. cap. 6.* & ego finem breviter huic impono argumento.

PRAEMIA MILITUM SPECIALIORA.

68. De Præmiis vel honoris symbolis, quæ quævis mereri potest Bellica virtus, dictum hactenus; nunc ut ad speciem magis accedamus, de Duce primùm exercitus, tribus quædam memoranda verbis. Is legibus nostris Magister militum vocatur. *l. 1. C. de exhib. reis. l. ult. C. de Decur. lib. 10.* Et Illustris, Magnificus ac Glorioſissimus audit. *l. ultimâ. C. de comit. rei milit. lib. 12. l. viros. 8. & l. ult. C. de diverſ. offic. lib. eod. l. ult. C. ut dignit. ordo ſerv. Authent. ut ordinariæ præfect. urbanæ &c.* §. 1. Ex quo eum hoc ipso munere (Wann nämblich jemandt wegen ſeiner Rittermäſſigkeit/ zu einem Obriſten oder ſonſten hohen Befelchshaber gemacht würdt) haud dubiè nobilitari, nostri colligunt Dd. *per Iura alleg. & l. ult. C. de primicer. lib. 12. Tiraq. de Nobilit. cap. 8. num. 15. Petr. Fritze de Nobil. civ. Th. 13.* Inter illa autem præmia, quæ priscâ florente Romanâ militiâ, Ducibus concessa ut plurimum fuere, præcipua sunt; Nomen Imperatoris, Corona obsidionalis, Supplicatio, Triumphus & Ovatio. Nomine Imperatoris, rebus benè gestis Duces suos milites appellare solebant, ut eum summo honore dignissimum esse declararent; Coronam obsidionalem, obsidione liberati, è gramine eò loci intra quem clausi fuerant generato, factam, liberatori suo offerebant. Supplicationis honos, victori ob res feliciter gestas à Senatu decernebatur. Triumphum ii impetrabant, qui in urbem salvo redientes exercitu, auspicio suo hostes superaverant; hujusque honoris ut conservaretur memoria, non tantum honestissimus locus in consessibus pub. viris triumphalibus concessus fuit, & iis permissum, ut in spectaculis lauream gestarent in capite Coronam; sed etiam erectæ fuerunt triumphales columnæ, statuæ, arcus triumphales, trophea & monumenta alia. Fuisse autem triumphos ante annos haud ita multos, Florentiæ adhuc in usu, testis est Machiavellus *lib. 5. de Bello Flor. adsin.* Ovatio nihil aliud, quàm minor Triumphus est, illi decerni solitus, qui bellum non ritè indictum, vel cum non justo hoste, gessit, aut cui repentina & incruenta victoria obvenit; aut qui in alienâ Provinciâ, alieniſve auspiciis, aut sine magistratu bellum confecit. *Obrecht. disp. de disciplinâ milit. Th. 840. & seqq.*

69. Præter Duces & Magistros, quæ cæteris decus tantùm adferunt militibus præmia, quamvis ut superiora indesuetudinem maximâ ex parte, summo Reip. abierint detrimento; vel sola tamen & nuda eorum recensere nomina nihil oberit. Erant autem præcipua apud veteres; Munera mi-

nera militaria, ut Centurionarus, Præfecturæ, Decurionatus, Optionatus & alia; erat Cohortis Prætoriæ communio, quæ non nisi Civi Romano & benè merito dabatur; erant item Coronæ: Muralis, muri quasi pinnâ decoratâ; Castrensis, insigne valli habens, & Navalis, quod navium quasi insignita esset rostris. Donabantur torques, armillæ, Phaleræ &c. Et quamvis hæc tanquam plurimum continentia utilitatis, ad hanc propriè non spectare præmiorum classem, alicui videri queat; nemo tamen inficias uti spero ibit, symbola hæc fuisse honoris, & ipsius intuitu concessa, non vitæ sustentandæ aututilitatis exinde percipiendæ causâ, quemadmodum prædia, vestes, adoreum, vinum & similia, de quibus suo loco. Neque etiam omnia honorem quæ deferunt præmia, ita nuda censenda sunt, uti Corona apud priscos Civica fuit. quam è fronde contextam quernâ, civis civi à quo servatus est in prælio, testem vitæ salutisque perceptæ dedit.

70. Vniversa autem hactenus commemorata militum præmia, si nostro quoque locum haberent ævo, dubitandum haud esset, quin milites nostri quibus idem est animus, idem corporis robur, eandem quoque ac veteres essent declaraturi fortitudinem, animique alacritatem. Rara enim virtutis remuneratio facit, ut rari etiam ejus inveniantur cultores; & æqua penè vitiorum & virtutum compensatio, ut milites nostri vitiis magis quàm virtutibus studeant. *Obrecht. d. disp. Th. 884. &c.* Vnde prædicari de illis ferè idem potest, quod de Campanis Cicero. 2. *Agrar.* scribit: Gloriæ cupiditate non efferuntur, propterea quod ubi honos publicè non est, ibi cupiditas gloriæ esse non potest; non contentione nec ambitione discordes, nihil enim supereſt de quo certent, nihil quod contra petant, nihil ubi dissideant.

71. At, quam supra obiter injecimus mentionem, præmiorum, quæ Virtutis proposita sunt alumnis, ob melioris cultum litteraturæ, ingenii solertis acumen, aut singulari industriâ Reip. probatam fidem; jam tandem ut recolamus etiam, & ordinis & instituti exigere videtur conditio. Eo autem in genere, agmen illis concessæ prærogativæ ducunt, quorum scientiâ (uti Fridericus Imper. loquitur, *Auth. Habitâ. C. ne filius pro patre &c.*) totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo & Imperatoribus ejus ministris, vita subjectorum informatur; qui amore scientiæ exules, facti de divitibus pauperes, semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpè hominibus (quod graviter ferendum est) corporales injurias sine causa perferunt. Quibus verbis scitè optimus Imperator omnes scholares describit, hoc est

PRIVILEGIA STVDIOSORUM.

tàm

tàm docendi quàm discendi causâ in Academiis versantes. *d. Auth. & ibi Gilken. num. 6.* Iis enim omnibus, ut necminus illis, quos defendii ipsorum maximè interest, sua prospectum vult in perpetuum valitura lege; idque tum, quod omnes bona facientes laudem Principis mereantur, tùm ne Musæ libertatis datrices in servitutem compellantur, & ne à vilissimis quibusque, injuriæ liberalibus ingeniis inferantur. *d. Authent. Habitâ & ibi Fomann. Th. 2. & 3. Camman. disp. de Iure Maiest. 3. Th. 14.*

72. Harum immunitatum plures alii, alii pauciores, Centum Horarius Lucius, Centum & octuaginta Rebuffus enumerant, quas tamen ab ipsis peti, malo. Nobis etenim cum de præmiis breviter disserere, non de privilegiis integros mens sit contexere commentarios, hoc attigisse sufficiat; pertinere illas prærogativas ad Personas, Res & Actiones, omnium illorum, qui decenter immatriculati, Scholarium re, factoque tuentur nomen: non vero eorum, qui sub nudæ appellationis velamine, cum studiosorum non impleant munus, aliis sese subducere conantur oneribus. *Br. ad l. unicam. C. de Collegiat. lib. 11. & ad l. semper. 5. §. quibusdam. ff. de Iure immun. ut & l. scriniarios. C. de Testam. milit. ubi etiam Iason. cap. generaliter. 16. quæst. 1. Bl. in d. Auth. Habitâ. nu. 2. Gail. lib. 2. obs. 118. num. 8. & seqq. Et vide Dd. quos allegat Camman. dicto loco. Th. 74.*

73. Illarum autem illustres maximè sunt. I. Quod non solum tàm in itineribus Academiarum causâ susceptis, quàm dum ibi degunt, plenaria ipsis præstanda securitas; sed etiam respectu personæ suæ & supellectilis, ab omni vectigalium onere immunes sunt. *d. Auth. Habitâ, ubi Gl. & Sichard. num. 7. Br. ad l. ult. §. Divus. nu. 2. ff. de publ. & vectigal. Rosenthal. in Synopsi. I. Feud. Cap. 5. concluf. 48. Dn. Bocerus de Regal. cap. 2. num. 200. & seqq. Arg. l. 2. in pr. vers. quid enim. C. quando & à quibus quarta pars. & c. l. 203. de V. S. l. 5. C. de vectig. & commiss. & c. Petr. Frider. 2. de Proces. cap. 42. num. 6.* II Quod non possunt capi jure Represaliarum, aut propter debitum alterius pignorari. *d. Auth. Habitâ & ibi Gothofr.* Id quod ipsis non de jure communi, sed omnino ex privilegio competere existimandum est. *Gilken. ad d. Auth. num. 36. Fomann. ibid. Th. 9.* III. Quod sumptus studiorum, precia librorum emptorum, Doctoratusque expensæ, si de hereditate paternâ inter liberos herciscundâ agatur, in collationem non veniunt regulariter. *l. quæ pater. 50. l. si filia. 20. §. 6. ff. familiæ herciscund. Schneidewin. in §. quædam. 20. I. de Act. num. 42. lit. B. Dn. Harppr. ad §. fin. Inst. de Adopt. Hart. Pistor. 1. quæst. 19. V. Fomann. ad sæpè alleg. Auth. Habitâ. Th. 48. & seqq. ubi limitat; & in specie de libris emptis, Br. ad. l. 1. §. nec castrense. num. 2. ff. de coll. bonorum.* Quin & filiusfamilias studiosus, si à patre quantum ad Studia absolvenda sufficiat, ex-

torquere non possit, SCto Maced. haud obstante, ab aliis pecuniam licitè mutuo sumit, ad eamque refundendam parens tenetur. *l.7.§.13.ad SCtum Maced.l.5.C.eod. Heig. ad §. pen. Inst. Quod cum eo qui in aliena pot. &c. num.9.* IV. Quod peculiares & quidem plures habent Judices, quorum optio ipsis data est, *per sæpè d. Authent. Habitá. C. ne filius pro patre &c. Vid. Dd. quos allegat Camann. d. disp. 3. Th. 71.*

74. Et ad hæc fermè IV. capita referri queunt omnia strenuis Musarum cultoribus donata privilegia; quibus uti eò Principes prudentissimi respexerunt, quò Cæsareæ benevolentiæ freti scuto, majori ope, alacriorique studio labores suos suscipiant: ita sarta illa ut conserventur, omnique tempore rata, providus sedulò curabit Magistratus. Viri enim doctrinâ imbuti, totius orbis cives sunt, & alicubi indignè si tractentur aut negligantur, solum facilè vertunt & aliò migrant; unde tritum illud, Gelehrte Leute vnd Bienen müssen wol in acht genommen werden / daß sie bleiben. Ingenia namque ingenua & egregia, non nisi honore, blanditiis & præmiis ali, in propatulo est, nec unquam artes bonæ & præclara efflorescent ingenia, nisi quum suæ præstantiæ spectatorem & testem nacti fuerint, qui & justè æstimet egregia opera, & liberaliter repenset. *Botero della caus. della grand. & c. p. m. 337. & seqq. Bornit. de præm. lib. 1 c. 6. Herm. Lather. de censu. lib. 1. cap. 14.* Quippe uti fruges non tam soli naturâ, quàm cœli beneficio & temperie, lætius proveniunt, ita quoque artes bonæ eximiaque ingenia, Principum benignitate excitantur; & Honoris propositâ corollâ, nihil non aggressurus est adolescens, quem ingenitus laudis & gloriæ stimulus, ad scientiæ ac Virtutis decus trahit: hic alendus est ambitu, hunc mordebit objurgatio, hunc honos excitabit.

V. insignem commentat. Dn. D. Lansii, de Acad. quam sub præsidio ipsius, hic in Illustriss. Collègio defendit, Generosus Dn. Steno Bielke, Baro Suecus &c. ad lit. L.

PROMOTIONUM ACAD. RITUS. Tacit. lib. 11. Annal.

75. Hûc respexerunt, qui ritus promotionum pub. Scholasticarumque Dignitatum nomina, in Academias prudenter primùm introduxerunt; sublatis enim studiorum preciis, etiam studia peritura ut minus decora, rectè conijciebant. A quo autem & quando id factum, sicut non usquequaque est expeditum, ita rem esse vetustissimi moris, patet *ex l. 7. C. de Profess. & Medicis. l. 1. C. de stud. lib. Vrbis Rom.* Et valdè probabilè videtur, Doctorum aliorumque graduum tùm emersisse originem, cùm D. Augustus quo major esset Juris authoritas, ut non nisi ex singulari ipsius concessione JCti respondeant, constituit; atque ita effecit, ut ex illo tempore peti licentia hæc tanquam singulare beneficium, ac postea quoque forma quædam Academica, studiique universalis erigi cœperit. Post miras autem Imperii Romani mutationes, à Lothario Saxone Imper. unà cum Legibus nostris, etiam ordines illos Professorum & JCtorum, tanquam

Zas. ad l. 2. de O. I.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [44] - 40

quam poſtliminio reſtitutos, ac Irnerio Cancellario ipſius ſuadente, ritus conferendorum graduum, introductos fuiſſe. *V. Heig. part. 2. quæſt. 11. num. 22. & multis ſeqq. Matth. Steph. de Iuriſd. lib. 3. p. 2. cap. 14. D. Lans. d. comment. pag. 68. & ſeq. Dn. Præſ. lib. 1. Polit. cap. ult. num. 40. verſ. 2.*

BACCALAUREI.

76. Illorum autem infimus & primus eſt, quem Baccalaureatus nuncupant; omnibus quidem Facultatibus communis, ſed pleriſque in locis non niſi Philoſophis ſeu Facultati artium uſitatus. Ejus Etymon ſunt qui ab armatâ militiâ non ſine ratione contendunt promanaſſe. Baccalaureos enim milites, prioribus ſeculis eos fuiſſe vocatos conſtat, qui tanquam tyrones electi, medii inter Equites auratos & armigeros fuerunt; unde ſunt qui *Bachalers* quaſi *Bas Chevaliers* (hoc eſt inferiores equites) dictos volunt, licet alii à Gallico *Batailler*, quod depugnare ſignificat, deducant; ac eos ſaltem, qui prælio jam ſemel interfuerunt, ita audiviſſe arbitrentur. Sic antequam ordines Equitum à Carolò VII. Rege, fuiſſent in Galliâ diſpoſiti, duo erant equitum genera, Vexillarii, qui Vaſallos ſuos habebant, elato vexillo, & Baccalaurei qui ſub alieno vexillo procedebant. Dn. *Præſes d. l. num. 42. verſ. 1. Fr. Mennen. de ord. Equeſtr. p. 33. &c.* Magis tamen eorum arridet opinio, qui nomen hoc à baccâ lauri, quæ victoriæ eſt inſigne, derivaſſe autumant. *Petr. Gregor. lib. 18. de Rep. cap. 9. num. 5. Matth. Steph. d. lib. 3. par. 2. cap. 14. num. 109. & ſeqq.* Et ad eam facilius amplectendam impulſus fui, cum primùm in Galliâ, hujus gradus candidatis, more antiquo frondes laureas jam baccatas vel frugiferas, auro & argento eleganter decoratas, inter alia offerri viderem; unde etiam primæ appellationem laureæ deſcendiſſe credibile eſt.

MAGISTRI.

77. Secundam vel ſupremam qui accipiunt Lauream, Magiſtri dicuntur, nomine quidem per ſe generali; utpote ſub quo Baccalaurei, Licentiati, Doctores, quin & milites, & in ſummâ cujuslibet diſciplinæ Præceptores, comprehenduntur. *l. cui præcipua. 57. & ibi Alciat. de V. S.* Vnde Doctores etiam Magiſtri, & viceversâ vocantur, *in proæm. compilat. Decret. al. l. 19. ff. de Receptis & c. l. Magiſtros. C. de Profeſſ. & Med.* Acillud quoque eſt, quod aliquando in Principum diplomatibus vel reſcriptis, Magiſtri Doctoribus præponuntur. *Dreſſer. in Millen. 6. pag. 285. Matth. Steph. de Nobil. lib. 2. num. 15.* Sed hodiè ut communiſſimus loquendi uſus manifeſtum facit, ſpeciatim ille dicitur Magiſter, qui abſolutâ ſeptem Liberalium Artium periodo, ſupremæ Philoſophicæ laureæ decus, ritu ſolenni accepit, & publicè Magiſter Artium renuntiatus eſt. Unde non tantum dignitatem hanc Facultatis Philoſophicæ propriam, ab omnibuſque ſuperiorum Facultatum Doctorali ſeparatam eſſe; ſed & illud conſequenter aſſeren-

Dn. Lanſ. d. loc ſub. lit. M.

dum videtur, stante in Academiâ statuto, ut ad Philosophiæ Professoratum, non nisi solenniter creatis Philosophiæ Magistris pateat aditus, Doctori alicui in superiori Facultate, qui tamen Magisterii Philosophici lauream nunquam acceperit, Professoratum Philosophicum statuto illæso concredi non posse. Quod ut salvo doctiorum, meliusque fundatorum judicio modestè adstruo, ita eâdem prævia protestatione, exinde non propterea elici posse putarem, Doctorem juris vel alterius Facultatis, Collegio Philosophico addictum, Magisterii titulo condecorare alios neutiquam posse, nisi & ipse antea eundem ritu solenni acceperit gradum. Est etenim creare Magistrum, jus non Magistrale vel Magistro quatenus talis, competens; sed Regale, cujus exercitium ut Princeps vel ipsius delegatus (Cancellarius scil.) nemini nisi Magistro, indulgeat, nullibi hactenus rescriptum vidi. Quodcunque autem non invenitur prohibitum, id intelligi debet concessum. *l. 12. de Iudic. Wesemb. in Parat. de Procurat. num. 5.* Interim tamen non diffiteor, laurum hanc à manu ejusmodi Promotoris, qui & ipse eodem antea insignitus sit, decentius honorificentiusque tradi; ac tum ad ipsius gradus dignitatem, tùm Academiarum quoque conservandam εὐταξίαν, plurimum conducere.

Dn. Præses lib. 1. Polit. c. ult. n. 42. vers. 2.

DOCTORES. 78. Dignitatum vero Scholasticarum suprema, Doctoratus est; de quâ ut multa multi, sic varii variè. Illud sanè constat, hoc honoris titulo legitimè condecoratum, non nudâ saltem Nobilibus appellatione annumerari, sed & ipsorum reapse gaudere privilegiis. *l. providendum. 7. C. de Postul. l. 2. in f. de excusat. tut. Luc. de pen. & Ioan. à Plat. in l. Iudices. C. de dignit. lib. 12. Br. in l. Medicos. C. de Profess. & Med. Bl. in l. nemini. C. de Adv. div. Iud. latè Dn. D. Halbrit. Patron. & Præc. meus suspiciendus, in Orat. de Priv. Dd. Tiraq. de Nobil. cap. 5. & c. 20. num. 68. Iac. Benius de privil. I. C. par. 3. privil. 56.* Est enim Doctoratus excellens dignitas: *cap. quanto. ex. de Magistris. l. Medicos. 6. C. de Profess. Nov. 117. cap. 4. Dn. Halbrit. d. l. in pr. & Dd. quos magno allegat numero, Petr. Fritze de Nobil. th. 14.* quâ præditos ipse Imper. amicos appellare non dedignatur. *l. secundum. C. de contrah. & com. stipul.* Unde etiam ad Assessoratum Cameræ, pariter cum Nobilibus assumuntur. *Ord. Cam. par. 1. tit. 3. §.* Deßgleichen sollen auch *in f.* R. A. zu Speir *de Anno. 57. §.* weiter nach dem *&c.* Ibique paribus cum ipsis fruuntur stipendiis. *d. par. 1. Ordin. tit. 47. ibi;* Einem Doctor, Licentiaten oder Edelmann. 500. fl. Nec non in quibusdam Cathedralibus Ecclesiis, haud secus ac Nobiles, in capitulares eliguntur. *Freher. ad Petr. de Andlo fol. 197. b. Ios. Nolden. de Nobil. num. 38.* Ac sine speciali Imp. permissu, Insignia Nobilium, Wappen mit offnem Helm usurpare possunt; dummodo ab insignibus certæ familiæ propriis, abstineant.

Hodie 700. fl. R. A. zu Speir/ de Anno 70 §. demnach. Concept der erneweretten Cammergerichts Ordnung. *part. 1. tit. 57.*

neant. *Chaſſan. in catal Gl. mun. p. 1. conſid. 38. Camman. de I. Maieſt. diſp. 3. n 64. Ioſ. Nolden. d. l.* Quin & ex communi receptâque Interpretum ſententiâ, Doctor qui in Academiis viginti annis continuè docuit, illuſtris efficitur. *argum. l. 1. C. de Profeſſ. qui in urbe Conſtantinopol. Brun in proœm. ff. num. 5. in l. pen. C. de Teſtam. mil. &c. Dn. Halbrit. d. Orat. paulò ante fin. Arumæus diſcurſu hác de re ſingul. inſerto vol. 2. diſc. Acad. & Dd. quos cit at Iac. Benius, part. 1. priv. 14. V. tamen etiam Dn. Lanſium, d. comment at. pag. 75. & ſeqq.*

79. Verum enimvero, uti juſtam ſingulorum Doctoribus competentium privilegiorum enarrationem, noſtra capere nequit Diſſertatio; ita Benevolum Lectorem ad ea quæ de immunitatibus Nobilium, Militum atque Studioſorum, ſupra relata fuêre, amicè remittentes, & omnem vitaſſe ταυτολογίαν, & noſtro nihilominus ſatisfeciſſe muneri, haud dubiè videbimur. Studioſos enim vel ſcholares quod attinet, Doctorem eorundem retinere privilegia, oneribus vero premi non poſſe, Dd. noſtri tradunt unanimiter, *in Auth. Habitá. C. ne filius pro Pat. & Petr. de Leſnaudiere in tract. de Doctor. quæſt. 18. part. 4.* Et militum quoque omnibus illum frui privilegiis, iis quæ non ob imperitiam Juris, ſed ob publ. utilitatem, & quo alii multi ad ſubeundum caſtra tanquam præmiis hoc modo invitentur, conceſſa ſunt, aſſeverant *Br. Cyn. & Salicet. in l. 1. C. de I. & F. ignor. Proſper. Farinac. lib. 1. de torturá. tit. 5. quæſt. 39. num. 38. Dn. Halbrit. d. Orat. p. m. 14. & 41. Benius part. 2. priv. 38. n. 1.* Idque ſive per extenſionem, & argumento ab armatá militiá ad togatam ritè ducto, ſive proprio contingat Jure, obſervari tamen, ipſe comprobat uſus. *V. Enenck. de privil. mil. l. 1. cap. 7.*

80. Et quamvis compertum probè habeam, litteratos quò magis ſua expandunt privilegia, eò majori ſeſe apud multos exponere ludibrio, & præſtare moderatâ libertate vivere contentum, quàm ſummam affectare, neceam adquirere poſſe, & ſimul irrideri: præcipuè cum & aliás audire cogantur Doctores, ſe comi facilitate privilegia ſua promovere. Interim tamen & illud, uti extra omnem poſitum eſt controverſiam, ita ſilentio præterire non poſſum; Doctores ob dignitatem excellentiorem, in Conſtitutionibus & Receſſibus Imperii aliquoties repetitis, Equitibus planè auratis connumerari, paribuſque privilegiis cum illis expreſsè donari. R. A. in Augſpurg de Anno 1500. ibi: Sonderlich mögen die vom Adel/ die nicht Ritter oder *Doctores* ſein *&c.* Et paulò pòſt. Doch mögen die vom Adel die Ritter oder *Doctores &c. Cothman. Acad. Reſp. 28. num. 16.* Unde etiam cum in reliquis Legibus Imperii veſtiariis, Nobilibus in materiâ, formâ, pretioque, certum moderamen præſcriptum ſit; Doctoribus tamen eorumque uxoribus, haud aliter ac Baronibus, pro dignitatis ſuæ condi-

Scipio Gentil. diſp. d. Jure pub. 4. theſ. 67.

tione, libera facultas vestimenta, ornamenta, aureas catenas, annulosque gestandi data reperitur. Reformation gutter Policey zu Augspurg *Anno* 1530. Item zu Augspurg *Anno* 1548. Policey Ord. zu Franckfurt *Anno* 1577. Ex eodemque fonte & illud fortassis promanat, quod in Imperio nostro Romano-Germanico, Principes in literis, linguâ vernaculâ Doctorem ferè non appellant nisi numero plurativo, (Ihr/Euch) quo tamen numero Nobilem non honorant, sed in singulari (du/dir) alloquuntur. *Dn. Lansius d. comment. de Academ. sublit. M. pag.* 81. *& seqq.*

81. Litteraturam igitur & Doctoreum gradum Nobilitatem obfuscare, nemo nisi Barbarus dicet *V. alleg. à Dn. Præs. lib.* 1. *polit. cap.* 11. *nu.* 55. Cum & aliàs dignitas dignitati juncta, priorem non aboleat, sed augeat magè, & illustriorem efficiat. *Zas. ad tit. de Senator. n.* 6. *tom.* 1. *Guil. de Monserrat de succes. Reg. dub.* 1. *num.* 4. *Coler. cons.* 33. *num.* 101. *Socin. cons.* 129. *n.* 7. *vol.* 1. *Nolden. de Nobil. th. ult.* Quò facit, quod de Didio Juliano, Spartianus refert: Proavus ei fuit Salvius Julianus, bis Consul, Præfectus urbi & Jure consultus, quod magis eum Nobilem fecit. Memoriâque dignum omninò est, quod de Georgio Fiscello, Doctore & Sigismundi Imperatoris Vicecancellario, Æneas Sylvius scriptum reliquit. Adoptatus is erat à Cæsare ob virtutes & officia, in ordinem Equestrem; cum autem Imperator in Concilio Basilienſi, de rebus arduis deliberaturus, alium in locum Doctores Juris, & in alium Equites seu nobiles coëgisset, ille dubitare cœpit, utri parti se adjungeret. Ad equites verò cum transiturus esset, tum Imperator, stultè facis, inquit, si literis militiam præfers; ego Equites mille uno die possem facere, sed unum Doctorem annis mille efficere non possum.

Lib. 4. comment. in res gestas Alphonsi.

82. His omnibus salvis, quamvis seculi nostri penitius inspectâ facie, explodendum propterea haud censeam, quod Eberhardus à Weiße in Aulico Polit. alicubi tradit; Nobili scil. Doctoris gradum, habere non esse consultum nec conducibile, quemadmodum etiam utrumque horum ordinum quædam sibi propria vindicare jura, nemo ut arbitror inficias ire potest; deplorandum nihilominùs est, quod de Nobilibus (vereor ne verè) Antimachiavellus scribit. Plerique (inquit) hodiè à bonis artibus adeò abhorrent, ut non tantum literas ipsas, velut multum infra suum fastigium jacentes, superbè fastidiant: sed litteratos quoque omnes, tanquam viles & sordidos habeant despectui. Quod vel maximum in Nobilitate vitium est. Nam nisi ignorantiæ totos se addixissent, historiasque vel inspicere dignarentur, Jul. Cæsarem, Augustum, Tiberium Claudium, Adrianum, M. Antoninum, Severum, Macrinum, multosque alios

Lib. 3. Theorem. ult.

alios Romanos principes, litteris & doctrinâ excultos fuisse, imò libros quoque scripsisse, comperirent. Hæc ille. Quod si tamen aliqualem merentur excusationem, ego contemtum hunc scaturire autumo, ex justo quodam barbatulorum & morosorum Philosophastrorum odioso fastidio, quos in conspectum excitatorum paulò ingeniorum, nedum Aulæ, caperatâ pro more venientes fronte, ex cellulis modo Camporum Elysiorum dimissos, novum quendam intrasse orbem, & nec linguas intelligere modernas, nec paria cum aliis habere ῥήματα judicares; & qui (ut eleganter Cunæus) sapientes sunt, præterquam in iis, in quibus Sapientes esse debent. Vel tandem ex rationibus etiam Constitutioni Imper. Friderici III. insertis, quâ Judiciorum omnium portas, universis occlusisse dicitur Doctoribus: quam videre licet apud Goldast. in Reichshandlungen. *fol.* 167. 171. *& 172.* Sed hæc alius sunt loci. Laus sua sit cautioni abusuum: maneat tamen & permanebit usus. *Wehner. ad Reformat. Rotvvil. part.* 1. *tit.* 1.

83. Verum de Doctoribus quæ modo suprà commemorata sunt, ea de illis solùm qui in privilegiatis Academiis solenniter renunciantur, ac non æquè de iis subaudienda esse, qui ab ipso Imperatore, vel ejus loco à Comitibus Palatinis creantur, & Bullati vocantur, tradunt Coler. *de process. Exec. par. 2. cap. 3. num.* 135. Rutg. Ruland. *de commiss. lib. 1. cap.* 14. *num.* 8. *& seqq.* Benius *de privil.* I. C. *p.* 2. *num.* 6. Parthen. litig. *lib. 1. cap.* 7. *num.* 32. Speckhan. *cent.* 7. *quæst.* 26. & Doctores communiter. A quibus tamen secesserunt noviter, Matth. Steph. *lib.* 2. *de Iurisd. par.* 1. *cap.* 6. *memb.* 1. *n.* 74. *& seqq.* Arum, *in disc. ad Aur. bullam.* 1. *thes.* 5. Treutl. *vol.* 1. *disp.* 1. *th.* 7. *lit. b. & ibi* Helfr. Hun. *in resol.* quorum opinio, eo semper præsupposito, quod Doctor ejusmodi, decenti prævio examine, in præsentia trium vel circiter Doctorum ritè initiatus fuerit, cur defendi nequeat, edoceri cupio.

LICENTIATI.

84. Sed de Licentiatis quid statuendum: quorum status an peculiarem inter Academica præmia constituat dignitatis gradum, & quem, dubitari adhuc potest? Omnem autem ejus rei ex diversis variorum locorum consuetudinibus ortam difficultatem, sequenti resecandam putarem distinctione. Vel enim quarundam more Academiarum (v. g. Perusinæ *Ben. de priv. IC. in proœm part.* 3. *num.* 14.) Licentiati illi dicuntur, qui coram aliquibus tantum facto de se periculo, idonei judicantur, ut se publico examini coram Collegio & Episcopo committere possint; hique gradum vel Doctoratus dignitatem promeruisse dici nequeunt, cum adhuc in pub. examine repelli possint. *Abb. in cap. cum secundum. num.* 14. *de præb. & latè Grat. Cons.* 116. *lib.* 2. Vel Licentiatorum nomine ii veniunt, qui post privatim

privatim comprobatam collegio Juridico doctrinam suam, laureâ digni commendantur, & acceptâ à superiore licentiâ ad Doctorandum, insignia solummodo, aliquâ de causâ omittunt & differunt; hosque cum Doctores effici meruerint, insignia licet, quæ qualitatem potius extrinsecam, quam rei præ se ferunt essentiam, collata non sint, Doctorum tamen gaudere immunitatibus & privilegiis, docet Angelus, *in §. quædam. num. 19. Inst. de Action.* quem multi sequuntur, quos recenset Anton. Gabriel. *in tit. de maior. & obed. concl. unicâ. Bolognet. in l. cum quid. nu. 31. ff. si cert. pet. Benius d. l. n. 11. arg. l. pen. de est. mil. l. qui pœnæ. 7. §. Divus. ff. de manumiss. &c.* Vel denique Licentia, tanquam peculiaris & Doctoratui proximus gradus, separatim publico quodam actu confertur: in quo omnia illa sollemnia, quæ in promotione Doctoris, excepto bireto seu Pileo, adhibentur. Hocque gradu condecoratum, in omnibus favorabilibus pro Doctore haberi, ejusque comprehendi nomine, ex generali notissimum est consuetudine. Sicque tradunt quos allegant, Rutg. Rul. *de commiss. lib. 1. cap. 14. num. fin.* Guid. Papæ *dec. 390.* Matth. Steph. *de Iurisd. lib. 3. part. 2. cap. 14. num. 98.* Ios. Nolden, *de Nobil. num. 37.* Et facit, quod cum publicâ Imperii lege, Assessores non Nobiles in Camerâ, debeant esse JCti titulo ornati; *Ord. Cam. par. 1. tit. 3. ibi:* Der Rechtgelehrte/ vnd gewürdigte, non magis Doctores, quàm Licentiati consuetis ceremoniis & ritu sicut dictum, in Vniversitate publicè inaugurati, idonei habentur. *Dn. Lans. d. comment. pag. 73.*

Ad Galat. 6. vers. 14.

85. Ast religio fortassis haud esset, tandem etiam quærere; An cui mundus est crucifixus, aut certe crucifixus esse deberet, quodvis subintellige Ecclesiæ vividum membrum, ejusmodi honores tanquam ipsius illecebras vanitatis, sine Spiritus quo regi debet, contristatione, illæsâve appetere queat conscientiâ? Et rationem dubitandi cui non ultrò, textus Matth. 23. *vers. 7. & 8.* ac divinitus illuminata dictat ratio, legere poterit quæ de Academiis earumque proprietatibus, scriptis divulgarunt, magnæ apud omnes Bonos authoritatis, & piæ recordationis viri, Johan. Wessel. *in lib. de Sacramento pœnitentiæ. f. 788. &c.* & Mart. Lutherus, *Tomo Witebergico. 2. de Missâ priv. at. fol. 276.* Vt & quæ ex aliis probatissimorum Doctorum libris, notavit Dn. Præses, *lib. 1. Polit. cap. ult. n. 40. Vt nec minus ad l. 7. & 8. de I. & I. num. 5.* Decisionem autem hujus & similium quæstionum generalem, omnique majorem exceptione, subministrare videtur, D. Paulus, *1. ad Corinth. cap. 7. vers. 30. & seq.* Vbi post alia. Qui gaudent, inquit, sint tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Enumerati ergò

etiam

etiam honores, ex ambitione vel φιλαυτία, neque spernendi sunt, neque ambiendi, sed ita semper si status conditio ferat, acceptandi; ut templum interea S. Sancti & cor humile non inquinetur, sed mundum permaneat, castum, & à terrenis omnibus vacuum, quo opus suum perficere possit Deus in visceribus Fidelis, sine obstaculo. Et tantum de præmiis etiam, sive dignitatibus scholasticis.

MAGISTRATVVM PRAEEMINENTIA.

86. Nunc generaliter quoque dicenda quædam de Muneribus & officiis, quæ dùm in Reip. administratione versantibus, præeminentiam quandam adferunt, merita eorum qui illis gaudent, non tàm aliis exponunt, quàm compensant. Rectè enim Plato arbitratur, ipsi Magistratui inesse præmium, ut accidens quoddam inseparabile, dum magnam esse ait pœnam, subiici deterioribus; propterea que cives probos ad magistratus accedere, illisque præesse, ut ab hâc pœnâ liberentur, ac sic eo ipso, merito integritatis suæ præmio fruantur. Honorem etenim, Virtutis esse præmium, supra diximus: Magistratus autem ad honorem pertinet, *l. 12. de Mun. & honor. l. un. C. si quâcunq; præd. potest.* sive cum sumptu, sive sine erogatione, modo cum dignitatis contingat gradu. *l. 14. in pr. ff. eod.* Unde etiam Judicibus aliisque magistratibus, propter præcipuam quam habent gubernandæ Reip. curam, maximus semper à majoribus nostris honor haberi consuevit. *l. 5. in pr. de iure immun.* Sic, ut ii etiam tanquam superiores, omni naturæ cessante lege, à propriis parentibus reverenter colerentur. *Livius dec. ad. 3. lib. 4. Valer. lib. 2. cap. 1. Plut. in vitâ Fabii Maxim.*

87. Nec debitum tantum semper honorem, Judicibus & Magistratui deferendum, tum Imperatoris, tum Papæ cavetur constitutionibus. *l. ult. in pr. C. quando provoc. non est necess. cap. ut debitus. 59. de Appellat.* Sed & eum quem Princeps ad judicandi evehit munus, eo ipso Nobilitari, eliciunt Dd. nostri, *ex l. Iudices. 12. Vbi Br. C. de Dignit. lib 12. Tiraq. de Nobil. cap. 28. à pr.* Ac sanè ipsi Comites, qui Jura Imperii hodiè quò ad suos habent subditos; apud Francos olim cæterosque Germanos, non nisi Judices provinciales, Regisque & Regni temporarii erant officiales: quo etiam in significatu Comitis vox accipitur, *in cap. 1. si de invest. int. Dn. & vasall. lis oriatur. In us. Feud.* Duces enim initio, inquit Paulus Æmilius, Comitesque *Lib. 1 sub Rege 9.* à Regibus præficiebantur gentibus, Civitatibusque; ac cum videretur, dimittebantur. Deinde inveteravit consuetudo, ut nisi sceleris convicti, abire Imperio non cogerentur: idque postremo, ut quisque eo munere donabatur jurejurando Regum cavebatur. Sicque factum tandem, ut Comitum, quemadmodum Ducum, Marchionumque &c. olim officio-

rum, muneris & administrationis nomina, nunc dignitatis & patrimonii effecta sint. *arg. cap. 1. §. & quia vidimus. de his qui feud. dare poss. cap. un. in f. de Alienat. Feud. cap. un. in pr. de Feud. Marchiæ. Dn. Præses in dissert. de Comit. & Bar. Imperii, ferè per tot.*

88. Cumque Principes magistratibus ejusmodi & judicibus, tanquam oculis, brachiis & manibus utantur; his meritò quoque necessariis corporis principalis partibus, non solum integra præstatur securitas, & contra eos moliens gravissimam læsæ Majestatis incurrit pœnam. *l. quisquis. C. ad. l. Iul. Maiest.* Sed etiam in omnibus aliis curam ipsorum geri sedulam, eorumque diligenter quævis notari facta, officii est & prudentiæ Principalis; idque tam, quò malis fraudulenter inre alienâ versandi præripiatur occasio, quàm Boni ut ad majora hoc summæ efficaciæ excitentur incentivo. Hancque in rem elegans est locus Plinii, in Panegyrico: ubi utile est, inquit, & salutare Præsidibus Provinciarum, hanc habere fiduciam, paratum esse sanctitati industriæ suæ, maximum præmium, judicium Principis, suffragium Principis. Adhuc autem quamlibet sincera rectaque ingenia, etsi non detorquebat, hebetabat tamen misera, sed vera reputatio: Si quid benè fecero, nesciet Cæsar, aut si scierit testimonium non reddet. Ita eadem illa seu negligentia, seu malignitas Principum, cum malè consultis impunitatem, rectè factis nullum præmium polliceretur, necillos à crimine, & hos deterrebat à laude. At nunc si benè aliquis provinciam rexerit, huic quæsita virtute dignitas offertur. Patet enim omnibus honoris & gloriæ campus. &c.

89. Quamvis autem magnâ sit magistratuum, à summâ præsertim potestate immediatè dependentium authoritas, ita ut mandato ipsorum resistere nemo, sed precibus quis apud eos instare debeat, donec veritas pleniùs innotescat. *cap. si quando. de off. & pot. deleg.* Interim tamen qui se scit aliis esse præpositum, non molestè ferat sibi aliquem esse prælatum, sed quam exigit, etiam ipse dependeat obedientiam. *Can. quamquam. Dist. 23.* Non tamen cæcam, ut Jesuitæ loquuntur, sed hoc oculatam moderamine, ut licet Principi etiam profano parendum sit. *Ierem. 27. 8. Matth. 17. vers. 27. & 22. vers. 21, & 23. vers. 3. &c.* Ac in civilibus, tametsi contra Jusjurandum contraque Principis officia quid jubeat, non ideo magistratus detrectare imperata, sed ad supplicationes & admonitiones humilimas confugere primùm, postea vero exsequi jussa debeat; in officio ejus siquidem non est positum, dijudicare id quod Princeps in legibus humanis sancit, justum sit nec ne. Illibatus tamen Deo suus semper ante omnia sit servandus honos: ejus enim ut & Naturæ præceptis magis obediendum

V. omninò Bodin. lib. 3. de Rep. c. 4. p. m. 451. & seqq.

quàm

quàm hominibus. *Actor. 5. verſ. 29. Dan. 3. verſ. 14. & ſeqq.* Et ubi apertè Dominus vel ejus Apoſtoli aliquid definierunt, ibi non novam legem dare, ſed illud potius ad animam uſque & ſanguinem defendere, decet. *cap. ſunt quidam. 25. quæſt. 1.* Quia Imperatorum lex non eſt ſupra legem Dei, ſed ſubtus. *can. 1. Diſt. 19.* Vnde Symmachus *in cap. 2. Diſt. eâdem.* Non licet Imperatori vel cuiquam pietatem cuſtodienti, aliquid contra Divina mandata præſumere, nec quidquam quod Evangelicis, Propheticis aut Apoſtolicis regulis obviet, agere. Et gravius Ambroſius, *in Divino c. Convenior, verſ. allegatur. 23. quæſt. 8.* Noli te gravare (inquit) Imperator, ut putes te in ea quæ divina ſunt, imperiale aliquod jus habere: noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt, quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari.

90. Quin & ſi de conſenſu ac voluntate ipſarum Legum Imperialium, extra fines provinciæ, aut ſupra quam jure debeat imperanti, impunè non paretur, tametſi honeſtum ſit illud quod jubet; quanto minus Principi turpia & injuſta præcipienti, obedientia ulla præſtabitur? terminos enim ac fines imperii à naturâ ipsâ poſitos, movet, ac ſuæ Juriſdictionis leges, ab immortali Deo ſacratas, perrumpit. *Bod. d. l.* Id quod cum ſuperioribus eò collimat unicè, ut qui Remp. in partibus ejus ſibi propter egregiã meritorum famam concreditis, gubernant; in quantum Divino Numini, in quantum Principi ſuo, in quantum denique ſaluti publicæ teneantur, quibuſque mediis ad altiora legitimum ſibi parare queant omnium bonorum ſuffragiis, adſcenſum, extremis tangamus digitis. Quod & paucis docuiſſe verbis D. Auguſtinus videtur, dum, qui reſiſtit poteſtati (inquit) Dei ordinationi reſiſtit. Sed quid ſi illud jubeat, quod non debeas facere? Hic ſanè contemne poteſtatem, timendo poteſtatem. *c. qui reſiſtit. 11. quæſt. 3.* Hincque etiam qui legibus Imperatoris, quæ contra Dei voluntatem feruntur, obtemperare non vult, grande præmium adquirere dicitur, *in can. 1. Diſt. 9. c. ſi Dominus. 93. & c. ſeq. 11. quæſt. 3.* *l. ult. de Juriſdict.*

91. Erga privatos autem ſuæque commiſſos Curæ, aliosve in univerſum, qualem ſe in publico munere conſtitutus gerere debeat, multis eleganter exponunt, Pratejus *lib. 4. Regul. I. tit. 17. cap. 3 & 4.* Bodin. *d. lib. 3. de Rep. cap. 5. & 6.* Hippol. à Collibus, *in Principe, cap. 4.* Ad. Keller, *de off. Iuridicopol. lib. 2. ferè per tot.* & alii; quorum mutuari operam hujus non eſt loci. Omnium tamen hâc de re, quæ dici poſſunt, aureum ſubminiſtrare videtur compendium, JCtus Calliſtratus *in l. 19. de Off. Præſidis.* Obſervandum eſt, inquit, Jus reddenti, ut in adeundo quidem, facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur. Et paulò poſt; in cognoſcendo neque excan-

descere adversus eos, quos malos putat, neque precibus calamitosorum inlacrimari oportet, id enim non est constantis & recti Judicis, cujus animi motum vultus detegit; & summatim, inquit, ita Jus reddi debet, ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat. Hæc JCtus; cujus summam prudentiam spirantibus verbis, si quid addere insuper licet, illud Cassiodori non minus grave, erit. Nil vile, ait, nil cupidum Judices decet: claras enim suas maculas reddunt, si illi ad quos multi respiciunt, aliquâ reprehensione sordescunt; alioquin expedit non videri, quàm cunctorum irrisione signari. Omnes ergo qui præmiorum celsa petimus, vitiorum humilia deseramus. Sit in nobis frons libera, ut aliorum possimus emendare peccata; æquat crimen omnes quos inquinat, & ideo dissimilis ab accusato esse debet Judex, quem (ut uno concludam verbo) puras manus Deo, Imperatori & legi, præstare decet. *Nov. 82. cap. 9.*

CONSILIARIORUM DIGNITAS.

92. Porrò, idem quod de Magistratuum & Judicum præeminentiâ, de Consiliariorum quoque haud secus sentiendum est dignitate. Licet enim Boni publici principaliter intuitu, necessariò quosdam in consilium adsciscat Princeps, quia suâ scientiâ non cuncta complecti, nec unius mens esse tantæ molis capax potest: insimul tamen & uno eodemque actu, votorum etiam suorum multos compotes reddit, quos per scholarum peregrinationumque molestias desudantes, honoris ejusmodi efficax diu aluit spes: & sic, dum alios adsumit in partem curarum, ingens illis ipsis solertis industriæ perspectæque fidei solvit præmium. Nullum enim majus laborum exantlatorum in terris expeti ut arbitror, precium potest, quam pars corporis existere sui Principis: *quod de Consiliariis prædicatur, in l. quisquis. C. ad l. Iul. Maiest. c. si quis. 6. quæst. 1.* Acin eo esse constitutum ordine, cui Imperatores se ipsos quoque annumerare, haud dedignantur. *l. 8. C. de Dignit. at. lib. 12. Carol. Tapia, ad Rubr. ff. de Constit. Princip. cap. 4. num. 113. & seqq.* Ut mirum jam non sit, Consiliarios & in libris juris nostri, & usu etiam, in omnibus quod sciam Europæ cultioris Provinciis, amicos Principum indigitari. Dicuntur enim ipsis inhærere, sicuti Stellæ firmamento Cœli. *Bl. in l. cum multa. 7. C. de bon. quæ lib. Gylman. in Symphor. Supplic. tom. 5. vol. ult. num. 15. Ios. Nolden. de Nobil. cap. 5. nu. 36.* Atque eum ita decorare putantur, ut splendor firmamentum. *arg. c. ult. de Magistris. Chassan. in cat. al. Gl. mundi. par. 10. consid. 24.* Unde etiam illos plenam unà cum officio assequi Nobilitatem, in propatulo est. *l. omnium. 19. in pr. ibi, inter tot nobiles, ubi id notant, Ang. Ias. & alii. C. de Testam. l. Iudices. 12. & ibi Br. C. de Dignit. l. fœminæ. 8. ff. de Senator. Dd. quos alleg. Dn. Bocer. de Regal. cap. 2. num. 8.* Ejusque rei insigne præjudicium ex supremâ curiâ Parisiensi, refert Tiraq. *de Nobil.*

Tacit. 3. & 1. Annal.

Tacit. 12. Annal.

l. 17. ff. de Jure Patronat. l. 4. C. de I. & F. ignorant.

de Nobil. cap. 6. num. 21. Ac est illud in Romano Imperio subaudiendum inprimis de iis, qui in Aulicum Cæsaris cooptantur consilium; perpetuisque & togatis annumerari merentur Imperii Senatoribus: quo illustri nomine, universi splendent Cameræ Imperialis Assessores. Visitations Memorial / *de Anno 70. §.* Dann obwoll. *1.* Concept der erneuerten Cammergerichts Ordnung. *tit. 9. in pr. Denais. in Iure Cam. tit. 15. §. 3. Roding. Pandect. Cam. lib. 4. tit. 3.*

93. Quamvis autem saniorum omnium communi assensu, nullum majus boni sæpe ii sit instrumentum, quam Consiliarius bonus; eorumque quæ inter homines, ut Philosophus ait, divinissimum: & Principis idcirco non minuat, sed augeat magis existimationem apud omnes, si amicorum subindè expetat suffragia, famaque tulerit, eum sanis consiliis (qui secundus Sapientiæ gradus est) morem gerere. Vicissim etiam Consiliarius, ut hoc sè honoris fulgenti Symbolo dignum monstret, summâ ope niti, piam integritatem præstare, specie obsequii regere, ad omniaque quæ agenda sunt, quietâ cum industriâ adesse, omnino debeat. Non tamen usque adeò Princeps universam in Consiliarios rejiciet curam, ut ab ipsorum totus dependeat arbitrio, aut infra servos ingenium habere videatur. Consiliarii, Consiliarii maneant, hoc est, Principi consulant: sed non ipsi Principes fiant. *Dn. Præses de consilio Polit. Axiom. 620. &c.* Audiat is cum judicio, & purâ ratione, absque pertinaciâ. Turpis Claudianus ille frutex, (*ait Lipsius Lib. 3. polit. 8.*) cui non amor, non odium, nisi indita & jussa: qui à suis

Ducitur, ut nervis alienis mobile lignum. *Horat.*

Principem ideo consultationibus, maximè gravioribus, ipsum interesse, quatenus per alias occupationes liceat, debere, Politici unanimiter statuunt: idque præceptum cum negligere imprudenter videretur Philippus II. Hispaniarum Monarcha oculatissimus, multorum è suis reprehensionem incurrit; sed quid Antonio Perezio familiari suo, & secretario intimo, aperienti illud & referenti, responderit, audire non injucundum erit. *Dexaldes dezir, dixo, que entienden mal, lo que mas conviene en esso. Cada officio (que officio es el de los Reyes) tiene sus principios y reglas, y entre otras, y de las de maior consideracion, y quiça la maior es, si deven tener los Reyes, los consejos en su presencia?* Loquantur, inquit, at quam perperam intelligunt, quid hâc in re fieri conducat. Vnaquæque ars (est enim & Regem esse, ars peculiaris) sua habet principia, suas regulas, quarum inter graviores, illa primum ferè obtinet locum, an Princeps in conspectum suum accersere consiliarios, ibique consultationes instituere debeat? Hæc, Rex.

Plinius in Panegyr.

l. humanum est. 8. C. de LL.

Tacit. 3. Histor.

Tacit. 13. Annal.

Tacit 12. Annal

Assoluti Monarchi deono mostrarsi i Principi de gli Stati loro, nel eseguire le deliberationi de negotii loro, più importanti; ma nel consultare, capi di una ben ordinata Aristocratia. Boccal. cent. 2. Ragg. 6. pag. 31.

94. Et sciam licet, quantum leporis & reputationis præceptis decedat Politicis, cum vulgato sermone,& vocabulis proferuntur trivialibus; rem tamen multis haud ingratam facturum me, confido, si auribus delicatioribus ad Regia ipsa verba & Hispanicam remissis gravitatem, quid hâc de quæstione, acutissimus ille subjunxerit Rex, calamo quidem simplici, sed fideli, Latinè referam. Scias, inquit, Antoni Perez, Imperatorem Dominum meum (ita enim de Carolo V. Patre loqui, in more positum habebat) planè secretum circa hanc materiam aperuisse mihi consilium; deliberationes nimirum de rebus Statum concernentibus, præsente Principe instituendas non esse; illis vero Bellum quæ tangunt, & in expeditione cum versatur, eum rectè interesse. Idque hâc potissimum de causâ, quod principis in bellicis angustiis conspectus, in officio audaculorum ferventia retineat pectora, timidis vero calcar addat & animum. In consiliis autem de rebus ad Remp. spectantibus, aliud quid perpendendum; ibi etenim Princeps si adsideat, nunquam liberè quid intus voveant Consiliarii, aut quem quisque peculiarem sectetur finem, exponunt: quod tamen perspectum probeque cognitum tenere, Principis maxumoperè interest. Sed hæc tum saltem usurpanda sunt, cum Principi fidelissimus quidam minister est, qui instar minuti cardui, totus ab ipso dependeat solo, & singula deferat ad amussim. Adjecit & hæc, idem Rex: Consiliarii cum in præsentiâ Principis sententia dicenda est, cohibent passiones suas, ac quasi è cathedrâ loquuntur: soli cum sunt, disputant inter se, excandescunt, pungunt se invicem, singulosque produnt animi adfectus; ex quibus Princeps optimum postea colligit consilium. Et quod consideratione haud minus dignum est; Princeps consultationibus si interesset, ad rixam disputationemve facilè res devenire, & ita accidere posset, ut abditos suos denudet sensus, parique cum suis certet hastâ. Iam autem liquet, quod quemadmodum homo hominem adorans, non Deum quendam adorat: ita opus omnino esse, ut homo adorari cupiens, ad conciliandum sibi eum honorem se ipsum juvet; haud secus ac Episcopi ad comparandam sibi reverentiam, ornamentis utuntur Ecclesiæ. Huc usque Magnus ille omnium Europæ motuum sui temporis author; Vtrum Politicè? prudentioribus dijudicandum relinquo. Anthonius sanè Perezius, miri acuminis Politicus, Henrico Magno, Galliæ Regi, ea majorem in modum commendat, & addit, *que en aquella parte, del no hallarse los Reyes en los Consejos de Estado, esso podria sacar una exception de la experiençia, que en algun gran negoçio, en algun gran caso, en algun gran aprieto, en que el Principe sivee, y quiere consejo mas para approbaçion, que para resoluçion, ally se hade*

V. Sirac. cap. 37. vers. 9. & 10.

ly se ha de hallar presente, para que el respecto le aiude à su intento. Assy lo hizo el mismo Rey Don Phelippe II. quando resolviò la prision del Principe Don Carlos, y en otros pocos tales casos. Sed hæc forsan non sunt Academica.

95. Diximus tam Magistratuum, quàm consiliariorum munera, honoris symbolis, virtutisque præmiis optimo annumerari jure: Vtrum autem sapiens ea acceptare debeat, seque immiscere & onerare Reip. negotiis, statu illius præsertim existente corrupto? nondum usquequaque expeditum est. Interrogo inquit Seneca, ad quam Remp. sapiens accessurus sit? Ad Athenienſium, in quâ Socrates damnatur, Aristoteles ne damnaretur, fugit? negabis mihi accessurum in hanc sapientem. Ad Carthaginenſium ergò Remp. sapiens accedat; in quâ assidua seditio, & optimo cuique infesta libertas est, summa æqui ac boni vilitas? Et hanc fugiet: si percensere singulas voluero, nullam invenero, quæ sapientem, aut quam sapiens pati possit. Theodorus quidam dicebat, Justitiæ non esse conveniens, ut sapiens quoddam subeat periculum pro salute patriæ, & ita sapientiam mittat in discrimen pro stultis. Et Hegesias, sapientem nihil facere debere nisi pro semetipso, cum is solus existat dignus pro quo quid fiat. *Referente Montano au. 1. des Essais, chap. 50. sur la fin.* Alia ejusdem planè generis occurrunt hinc inde complura, non apud Philosophos tantùm, sed & Aulicos, majoremque expertos in immundo hoc Mundo Fortunam; quorum omnium in eo concordant sententiæ, quod cum sapiens veluti Justitiæ norma quædam, multitudinis sit adversarius omnium maximus, rectissimè eum facturum, si humanorum motuum vitans procellas, benè lateat, quo benè vivat.

Ad Gallion. de vitâ beatâ.

Le sage n'expose sa fortune à l'envie.

96. Attamen melius facere videntur, qui illæsæ conscientiæ scuto, securi, invidiæ excipiunt sagittas, & mortem quoque honestam, si ita necessitas ferat, jucundo otio præponunt. Nullus namque nostrum sibi soli est natus, sed ortus nostri partem patria sibi vindicat, partem parentes, partem amici: vocante igitur te Patriâ ipsâ, impium esset non parêre, ne aditum pravis hominibus relinquas. Et ne quis decipiatur, quod liberis parentes, hoc patriam esse unicuique nostrum, scire debemus: Huic non fortunas tantum nostras possessionesque, sed vitam ipsam, & quidquid hanc cariorem facere potest, nos debere, naturâ ipsâ docente, gentium unanimis recepit consensus. *V. Vasq. lib. 1. controv. cap. 5. nu. 16.* Quin & cogere aliquem Majestas, imperii Jure potest, ut publicum suscipiat munus. *tot. tit. Quemad. Civ. mun. indicantur. C. lib. 10.* Unde etiam Magistratus abdicando se Imperio, nihil agit. *l. Legatus. 20. de Off. Præsidis.* Nec oportet ideò, ut cum omnibus in perpetuâ sapiens vivat rixâ, sed ad conservandam

Dn. Præses lib. 2. Polit. c. 3. nu. 10.

Plato Epist. 9 ad Arch. Tarent.

dam ubique Justitiam, aliam præ se quandoque feret personam, quam revera est; loquendum & extra vivendum, ut multi, sapiendum ut pauci. Vulgatumque illud, universum mundum histrioniam exercere, si de quoquam, de sapiente profectò accipiendum; faciet is sæpè quæ non probabit, ut ad majora transitum inveniat, nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit: omnia quæ imperiti faciunt, & ipse faciet; sed non eodem modo, nec eodem proposito; multa sapientes faciunt, quà homines sunt, non quà sapientes. Ac ubi flumini moris humani resistere, morbisque Reip. ac principum peccatis, mederi constantia nequit, præstat interdum indulgere aliquid, quam Reip. vulnera à Principibus illata, exacerbare, eosque ab insaniâ ad furorem adigere. *Bodin. lib. 3. de Rep. cap. 4. p. m. 456.*

V. omnino P. Charron, au. 2. de la Sageſſe, chap. 2.

ALIA QUAECUNQVE OFFICIA.

97. Præter jam dicta munera, aliis étiam officiis, & præsertim Aulicis, integritatem & merita quorundam, queis ad altiorà fastigia illa ascendere non est datum, compensari, satis est manifestum. Munus enim etiamsi aliàs vile, si tamen demandetur à Principe, non jam vile est, sed nobilitatem & dignitatè continet. *Tex. in l. nemo præfectus. §. & ibi Dd. de Dignit. Ang. Aret. in §. ult. I. de Excep.* Ita ut quamvis Procuratoris officium vilissimum sit, *l. 34. C. de Decur.* & tanquam contemptibilis functio, ab infamibus quoque exerceri queat. *§. fin. inst. de Except. Dd. quos allegat. Wesemb. in Par. at. ff. de Procurat. num. 4.* Non est enim dignitas, sed onus, *ut ait Gl. in l. 2. inf. C. de Dignit. & Panorm. in cap. Imperatorum. nu. 9. in f. de Iuram. calumn.* Nihilominus tamen procurator Principis, dignitatem habere & honorem, ac ex officio suo nobilitari censeatur. *Bl. in l. Cassius. col. 2. ff. de Senator. & Dd. alii, quos allegat & sequitur Tiraq. de Nobil. cap. 30. nu. 7. & seqq.* Et sanè qui hodiè sunt Nobiles, non nisi ad servitia olim erant distinati, Aulæque ministri vocabantur; vulgò Edle Knechte. *Cruſ. Annal. Suevic. par. 1. lib. 10.* officium nempe eos nobilitavit; & sic ex ministerialibus Ducum, Comitum, aliorumque magnatum, Nobiles facti fuerunt, numero perquàm multi, qui gentilitiam postea nobilitatem, ad posteros propagaverunt. Hincque nomina multorum officiorum, adhuc usurpant familiæ nonnullæ; utputa, Truckſäß/ Schenck/ Mayer/ Marſchalck/ Keller &c. *Dn. Præses in disc. de Ord. Equestri pag. 6.* Ac ex eodem manat fonte, quod semper ubi est Princeps, ibi est & præsumitur esse copia nobilium; quia nemo eum viles sibi adjungere credit. *l. omnium. circa pr. in illis verbis, inter tot Nobiles. ibique Bl. Angel. Corn. Ias. & alii. C. de Testam.* Ast sit suus ejusmodi ministris honos, sint sua munia; quæ ad officium Imperii, ad aliquam partem Reip. pertinent, ne attingant. Caveat Princeps, in tantum negligat

autho

authoritatem ſuam, ut de rebus gravioribus deliberet cum cubiculariis aliiſque ejus generis miniſtris, quibus omnia Principum, honeſta atque inhoneſta, laudare mos eſt. Et quantumvis idonei videantur, tamen ſpecies ipſa gratioſi liberti aut ſervi, dignitatem habere nullam poteſt, ut inquit Cicero, *Epiſt. 1. lib. 1. ad Q. Frat. Lipſ. lib. 3. Polit. cap. 9.* *Tacit. 3. Annal.*

LIBERIOR ACCESSUS AD PRINCIPEM.

98. Tandem liberior quoque ad Principem acceſſus, inter præcipua honoris ſymbola meritò numerandus. Qui enim adhæret lateri Principis, illius permiſſu, Nobilis dicitur. *Purpur. in l. 1. col. 18. & ibi omnes. ff. de officio eius &c. per l. 1. C. de præpoſ. lab. l. 1. C. de Domeſt. & protect. l. ult. C. de Excuſ. tutor. Ang. Aretin. in §. ult. col. 1. I. de Except. Tiraq. de Nobil. c. 6. nu. 10. Chaſſanæ. in cat al. Gl. mund. part. 8. conſid. 19. Maſc. de Probat. concluſ. 1095. nu. 5. vol. 2.* Quia Principi vicinus, de ejus qualitate participat, ut ars imitetur naturam; ut ait Decian. *reſp. 58. nu. 23. volum. 5.* Hinc que inter ſingularia Doctorum privilegia computatur, quod ferunt liberrimum ipſis propter eam quâ pollent dignitatem, ad Tribunal Principis, aditum conceſſum eſſe; permiſſamque facultatem, Auditorium ipſius quandocunque voluerint, non petitâ licentiâ ingrediendi, & ibidem Actorum ſecreta inſpiciendi. Doctores enim & aliàs ſemper ad ejus latus ſtare debent, *ut Bl. notat. in l. Iuriſperitos. ff. de Excuſ. Tut. per illum text. Dn. D. Halbr. præcitatâ Orat. de priv. Doct.* Ita Oſilium, Nervam, Proculum, Cælium, Sabinum, JCtos, diverſis Imperatoribus familiariſſimos fuiſſe, conſtat, *ex l. 2. §. ab hoc. 44. & ſequent. de Orig. I.* Quemadmodum è contrà infamibus curiam Principis ingredi non licet. *Bl. in Rubr. de Offic. Iud. ante fin. & in l. reum criminis, in f. C. de procur. ut & in l. 1. §. hoc Edicto. ff. de Poſtul. Per l. ſed & milites. 8. §. Scribit autem. de Excuſ. tut. Et facit tex. ſingularis, in l. 2. §. ignominia. ff. de his qui notant. inf.*

99. Princeps igitur, amans conſtantiam civium, & qui rectos vividoſque animos, non contundere ac deprimere, ſed fovere & attollere cupit, Boni omnes ut amicitiâ ſuâ floreant efficit. Ac digna vox eſt Majeſtate Veſpaſiani Imperatoris, quâ Apollonium alloquitur apud Philoſtratum: Ego, inquit, ſapientibus viris fores patere ſemper volo; tibi autem non fores modò, ſed pectus etiam meum apertum eſſe. Nihil enim ut Imperator ait, *in l. ult. C. de Don. inter vir. & vx.* tam peculiare eſt Imperialis Majeſtatis, quàm humanitas, per quam ſolam Dei ſervatur imitatio. Vtque inter magnum Optimorum Principum numerum, qui per hanc ambulantes ſemitâ, tinæis ac foricibus Palatii excluſis, ſe adeundi libertate merentes cohoneſtarunt, officiaque aliorum, comitate & alloquiis provocarunt, unum nominem laudatiſſimæ æternùm memoriæ Eberhardū I. *Plin. in Panegyr.* *Lib. 5. cap. 11.* *Conſtantin. Imp.* *Tacit. 5. Hiſtor.*

Ducem Würtembergicum, fundatorem Academiæ hujus felicissimum: is non tantum doctiores, & à quibus aliquid prudentiæ haurire se posse arbitrabatur, frequentissimè accersivit, sed & quò publicè testatum faceret, quantam ex ipsorum conversatione capiat delectationem, sæpè hanc ipsam in urbem veniens (aulico comitatu arcem petente) ipse in exiguam Naucleri domum divertit, ibique per totum diem, de Ecclesiâ, Rep. & si quæ alia studiorum suppetit penus, cum doctis collocutus est familiarissimè; eoque facto tùm docentes, tùm discentes ad alacritatem mirificè instigavit. Firmo namque ipsius veritatis nititur fundamento, quod Basilius Imperator sapientissimus, ad filium scribit; dum vel unum inquit, Principis verbum pluris est, quàm multa munera; & dictum unicum ad consolandum efficacius ac valentius est, quàm res aliæ sexcentæ: non enim tantum valet pecuniæ copia ad reficiendum animum dolentem, quantum blanda & lenis oratio Principis, ea via est, ad conciliandum tibi citra ullos sumptus, omnium benevolentiam, qui ex eo te Patrem Patriæ potius, quàm Dominum, prædicabunt. Magni scilicet animi, *El trato con Reyes enseña.* conversatione cum Principibus fiunt, & cum homo acceptum se cognoscit, plurima audet; *ut ait Br. in l. 1. col. 8. nu. 71. C. de Dignitat.* Id quod tum consultum undiquaque, ac salutare est, si interim suâ se quisque, non Principis metiatur fortunâ.

PRAEMIA QUAE IN MORTVOS ETIAM CADVNT.

100. Præcipuis jam honorum symbolis, quibus dum inter vivos agunt, gaudere homines possunt, per discursum enumeratis: restat, utillorum quoque nunc brevissimam injiciamus mentionem, quæ si non omnia, famam fato jam functorum solùm afficiunt, attamen mortuis cum vivis communia, & utrisque convenientia sunt. Quo numero an Nobilitas censeri etiam debeat, dubitationem movere Tiraquellus *De Nobil. cap. 6. num. 45.* posset, dum eam mortuo quoque ritè conferri, asserit, citans ad id Bartolum *in d. l. 1. col. 8. vers. ex prædictis patet. C. de Dignitat.* Sed miror JCtum eximium plus allegationibus aliorum, quàm oculari inspectioni tribuisse. Reperio namque Bartolum non de defuncto, sed de constituto in mortis puncto, loqui; & unà cum Glossâ *in l. privatorum. C. de Iurisd.* licet non ad dignitatem ipsam, ad ejusdem effectum tamen, scientiam Nobilitati requirere. Quemadmodum & aliàs in genere, beneficia Principis ante agnitionem (quam in mortuum cadere non posse, liquet) nemini quæri, communem esse opinionem, ajunt Alciatus *in cap. cum contingat. nu. 235. de Iureiurando.* & Em. Soarez, *in thesaur. recept. sentent. lit. P. nu. 272.* Et quod Cicero, Poëtas post mortem nobilitari velle, ait; id ego non tam de Civili illâ dignitate, quàm aliâ quadam subaudirem innotescendi cupiditate,

tate, gloriæque & magni nominis flagranti desiderio. Quam etiam famæ celebritatem, adeò hujus præmiorum classis puto propriam, ut Principes non nisi post funera laudandos, eorumque mores sive pravos sive bonos, convenientis adjectione nominis, magno Reip. emolumento, posteritati prodendos, planè existimem. Cum etenim vivi nullum sortiantur forum, facta eorum post mortem in Famæ vocari judicium, ibique decens sustinere nullis subjectum affectibus examen, & æquum videtur & conducibile. *V. Le Sieur de Montaigne au 1. des Essais. chap. 3.*

101. Huc propriè etiam spectant Trophæa, Arcus triumphales, Templa, Imagines & Statuæ, viris strenuis in Romanâ præsertim Rep. olim decretæ ac positæ: ut Horatio Cocliti, Mutio Scevolæ, & aliis; sicut ex Livio, ac Dionys. Halicarnass. apparet, & Gellius, Plin. Ammianusque pluribus testantur. Ita Servius JCtus, cum in legatione periisset, statuam ei populus Romanus pro Rostris posuit. *l. 2. §. 43. de Orig. I.* Nec inviderunt laudes suas mulieribus, viri Romani; adeò sine obtrectatione gloriæ alienæ vivebatur: monumento quoque quod esset, Templum fortunæ muliebri ædificatum dedicatumque est, cum Veturia & Volumnia, Cn Martii Coriolani exulis, Vrbemque obsidentis mater ac uxor, reliquo Romanarum mulierum comitatæ agmine, inque hostium profectæ castra, populatione Patriam, infestissimoque liberassent bello. Similiter Cloeliæ quoque novam virtutem, novo genere honoris, statuâ equestri donavere: in summâ Sacrâ viâ, fuit posita virgo insidens equo. Sicuti autem vix ulla fuit unquam Resp. quæ Romanam hoc in præmiorum genere æquaret; ita magnitudinis suæ hanc non postremam fuisse causam, complures asserere non dubitant Politici. Quamvis é contra nec illi absurdi nimis videantur, qui in Statu libero, immodicos publicarum statuarum honores, ad auram popularem ambitiosis parandam Senatoribus, motusque sic Sillæ, Marii, Cinnæ, Crassi, Pompeii & Cæsaris exemplo, concitandos, multum facere autumant. *Boccal. cent. 1. Ragg. 79.* *Livius lib. 2.*

102. Ad extremum hucpertinere sciendum, Epitaphia, Monumenta, Solennitates, Orationes, Laudationesque funebres. De quibus ita Lege XII. Tabularum dispositum reperitur. *Honoratorum virorum laudes in concione memorantor, eæsq; etiam ad cantus tibiarum prosequuntor, cui nomen Næniæ.* Et cum eâdem lege, multæ antiquorum ceremoniæ inhibeantur, *Coronam* tamen *virtute partam, & ei qui peperisset, & eius parenti, sine fraude esse lex imposita iubet.* Plato censet, eos qui in bello pro Rep. ceciderunt, ut divinas quasdam & beatas animas venerandos atque advocandos, imò & sepulchra eorum. Romani his honoribus impensas quando-

que adjecêre funebres, ne egestas defunctorum, promeritæ quidquam demere videatur gloriæ. Ita P. Valerius Consul, de publico elatus est, &
Livius. 2. Histor. Agrippæ Mennio, interpreti arbitroque concordiæ civium, legato patrum ad plebem, reductori plebis in urbem, sumptus cum deessent funeri, extulit eum plebs, sextantibus collatis in capita. Græci vero quantâ cum curâ, quantâque cum religione, benè de Rep. meritorum & in præliis interfectorum corpora, recuperare & sepelire consueverint, pleni sunt Historicorum libri. At nostrum cum non videatur, in hoc diutius immorari argumento; jam tandem ad illa quoque præmia, quæ minus principalia diximus, Deo duce, gressum dirigimus.

DE PRAEMIIS QUAE IN UTILITATE CONSISTUNT.

103. VIRTUTEM SI QUOPIAM IN TERRIS PRÆmio, non nisi Honore pensari posse, multorum supra comprobavimus testimoniis: sed cum ea sit vitæ humanæ conditio, ut ad mentis honoratæ domicilium, miserum scil. corpus sustentandum, nunquam non aliquid mortalibus desit; iniquum sanè & absonum esset, illi cui honos jam ob merita delatus est, necessarium ejusdem denegare fulcrum. *Facit. l. 31. in pr. ff. Depositi. & l. 2. de Iurisd.* Quemadmodum enim statua ex auro preciosisve atfabrè elaborata gemmis, pulverulento & spurco imposita solo, nec splendorem quem habet, retinet, nec suam præ se fert dignitatem; é contra vero Architectonicæ impositæ columnæ, plurimorum in sui admirationem rapit oculos: ita virtus quoque ipsa, suam ut aliis commendet Majestatem, ex sententiâ omnium Peripateticorum, opum indiget adminiculis: & viri quantumcunque strenui, sine hoc tamen basi, vix adparent. Et genus & virtus, nisi cum re, vilior algâ est. Ac licet Nobilitas semel parta, ob paupertatem haud amittatur, ea tamen sine divitiis admodum mutila atque manca est: & ut ait Bo. Curt. *in tract. de Nobil. col. 2. vers. 3. & ult.* Sicut fides sine operibus mortua est, ita & Nobilitas sine divitiis. Quippe.

Honra sin provecho, no es sino como anillo en el dedo. Celest.

Ovid. lib. 1. Fastor.

In precio precium nunc est, dat census honores,
Census amicitias, pauper ubique iacet.

104. Cum igitur Resp. per eos administrata, qui privatum magis quàm publicum sectantur commodum, optatum justæ magnitudinis assequi finem non valeat; & vicissim, Cicerone alicubi attestante, duæ sint potissimum res, quæ commovere homines ad turpe compendium possint, inopia scilicet & avaritia: Princeps ideòque omnes quò ministrorum suorum conatus, suis solùm mancipet & devinciat negotiis, ipsis non tantum de victu & amictu necessario paternè prospicere; sed & multum illud deterrens paupertatis monstrum, mentibus eorum radicitus evellere

Mel. Scian. de P. Mattosen. p. 72.

lere debet. Prudentissimè sic, is cujus supra mentionem fecimus, Hispaniarum Rex, Philippus II. ad Ruy Gomezium familiarem suum, Tu mea gere negotia, dixit, ego res tuas curabo: cumque post obitum ipsius, de ingentibusquas reliquerat divitiis, fama percrebuisset, arbitrabar inquit, majoribus eum cumulasse bonis. Nec absimile est, quod apud Tacitum, *Lib. 14. Annal.* Nero ad Senecam ait, rubori sibi esse, quod præcipuus charitate, nondum omnes fortuna antecellat. Et sanè quum res Romana moribus adhuc staret antiquis, Patriæ rem unusquisque, non suam, augere properabat; *Val. Maxim. lib. 4. cap. 4.* pauperque in divite, quàm dives in paupere Imperio versari malebat. Sed huic tam præclaro proposito, illa merces reddebatur, quod nihil eorum quæ virtuti debentur, emere pecuniâ licebat, inopiæque illustrium virorum succurrebatur.

105. Nec existimandum est, salariorum ex quacunque conventione debitorum, id totum expediri præstatione; tollitur enim obligatio, solutione ejus quod debetur, *Inst. quibus modis toll. oblig. in pr.* nulla autem nova adquiritur: & præstantur quidem Dominis servitia ob salaria, a- *Ad. Keller. de* mantur autem propter separatam munificentiam. Præmiorum ergo, nec *Off. Jurid. lib. 3.* nomen nec effectum nisi ea sortiuntur, quæ cum jure sive Actione extor- *cap. 4.* queri (sicut suo monstrabitur loco) nequeant; ob æquitatem tamen & publicam utilitatem, ultrò à Magistratu, seu Judice etiam, benemerentibus decernuntur. Unde consequens est, ut quamvis salaria, utpote ex contractu debita, alius planè generis sint, nihil tamen hoc obstet, quin extraordinarias eorundem constitutiones, huc propriè referri posse, statuamus. Cujusmodi verbi gratiâ est, si Judex Tutori vel curatori, ex causâ, salarium quoddam in recompensationem, cum de Jure cæterò quin non debeatur, constituat *l. 33. §. fin. & ibi Br. ff. de Administrat. Ioh. Garsias de Expensis. cap. 20. nu. 11. Bœza de Decimâtut. c. 1. nu 1. Arnold. de Reyger. in Thesaur. Iur. adverb. Salarium. nu. 38.* Aut aliàs cui commodum quoddam pecuniarium, sive in perpetuum sive ad tempus, extra ordinem, ob quamcunque honestam rationem, publicitus assignetur; id quod pro locorum personarumque differentiâ variis fit modis.

106. Hinc enim Commendaturæ ortum suum trahunt; quo nomine indigitantur certi quidam districtus, Oppida & terræ, quæ olim non nisi emeritis certorum Ordinum Equitibus commendabantur, ut ex earum reditibus quod superesset vitæ, honestè sustentarent; neque tamen ad posteros vel propinquos hereditario transmitterent Jure: nunc vero, ut Miræus ait, *de Ord. Equest. cap. 8.* rebus ab antiquo mutatis, aulicorum deliciis, Regum ex libidine haud raro mancipantur. *COMMENDATURÆ*

FEUDA. 107. Hinc Feudorum pariter est origo, sive rem à primis jam Imperiorum usurpatoribus, qui hujusmodi adminiculis infirmam adhuc & crescentem suam potentiam, corroborare necesse habuerunt, repetas; *Niellius disp. Feud. 1. Th. 1. Beros. de Antiq. Regn. lib. 4.* Sive Romanis id modò Imperatoribus totum adscribas, cum Vultejo, *lib. 1. de Feudis. cap. 1. nu. 14. Rosenthal. in Synops. Feud. c. 1. concl. 16.* Et sive originem eorum à prædiis illis derives, quæ veteranis olim ad vitam commodè transigendam data fuerunt. *l. 11. & ibi Gothofr. de Eviction. cum similibus. Sonsbec. in comment. Feud. part. 1. num. 33. Taurel. de milit. in f. Wesemb. de Feud. cap 3. nu. 1.* Sive tum modo cœpisse existimes, cum Romanorum tam militares quàm Juri dicundo præpositi Magistratus, sub Germanis Impp. ex annuis perpetui primùm, mox ad posteros quoque transitorii effecti sunt. *V. Heig. de Orig. Feud. 1. quæst. 1. Vult. citato loco. Ioh. Nordermann. de Iure Principatus, concl. 88.* Vix enim iis accedere possum, qui Longobardis omnimodam Feudorum tribuunt inventionem, eorum quamvis Barbara irrepserint, usuque recepta sint vocabula.

108. Pertinent ergo huc, & præmiis optimè annumerantur, tùm alia omnia propriè sic dicta Feuda, quæ vel de novo, vel ad Dominum reversa, strenuis & fortibus viris donari, gratisque concedi solent; *tit. 23. in f. F. 2. tit. 27. in pr. F. 1.* Tum Feuda inprimis de Camerâ & de Cavenâ; quæ ob servitia Domino præstita conceduntur, ac impropria audiunt: quia non solum in re mobili, contra Feudorum naturam, *tit. 1. & tit. 23. ubi quein f. F. 2. Dn. Bocer. de Substantiâ Feudi, cap. 1. nu. 23. & multis seqq.* sed etiam ad tempus tantum constituuntur. Eorumque ut plurimum naturam induunt, Advocatiæ & Cancellariatus Feuda, quæ pro Patrocinio in lite præstito, aut pro labore, operâ & consilio, Princeps Cancellario suo concedit. *tit. 2. ibi, promercede. F. 1. ubi Alvarot. Iac. de Bel. &c. Obrecht. disp. Feud. 2. th. 328. & seqq.* Quamvis multi Advocatiæ Feudum de eo intelligant, quod inferiores potentioribus, ceu protectoribus & defensoribus suis, pro tutelâ patrocinioque erogare solent; id quod Germani, **Schutz/ Schirm/ oder verspruch Gelt** appellant. *Gail. 2. obs. 54. nu. 2. & seqq. Vult. lib. 1. de Feud. cap. 8. nu. 17.* Quo in significatu, haud secus ac Guardiæ & Castaldiæ Feuda, annuam magis ex contractu debitam pensionem, quàm præmium redolere videtur.

109. Sicuti autem Regula est, Feudum dare unumquemvis posse, qui bonorum suorum liberam habet administrationem. *tit. 3. in f. princ. F. 2. Tilen. in Parat. Inst. Feud. tit. 1. Dd. quos allegat & seq. Vult. d. lib. 1. cap. 3. num. 14.* Ita ne minimam quidem id habet dubitationem, in Principe sive

Repub.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [64] - 60

Repub. plenum rei suæ Dominium habente. Attamen de illo adhuc controvertunt Doctores, an utili Dominio penes Vasallum jam existente, Dominus Feudum sibi nondum apertum, in eum eventum quo caducum fiat, promittere alii possit? Et quamvis pacta futuræ successionis, præsertim adquirendæ, adeò improbata sint, ut nisi ipse fortè de cujus successione pactum est, voluntatem suam paciscentibus accõmodaverit, & in eâ usque ad extremũ vitæ suæ spacium perseveraverit, ne jurata quidem valeant; utpote quæ votum inducunt captandæ mortis, adeoque contra bonos mores sunt. *l. 19. l. fin. C. de Pactis. Vbi latè Br. & Dd. Canonistæ in cap. quamvis. eod. titul. Dd. in l. 61. ff. de V. Obl. Vbi latissimè Alex. & Zas. text. in l. 11. C. de transact. text. in l. si quando. §. illud etiam, & ibi Gl. prægravari. C. de Inoff. Testam. text. in l. hæreditas. C. de Pactis convent. & in l. ex eo. C. de Inutil. Stipul. cap. non est obligatorium. de R. I. in 6. Gail. lib. 2. Obs. 125. nu. 2. & seqq.* Id tamen in Feudis non obtinet, & valida est feudi in eventum facta concessio, si vasallus ultimus sit familiæ & agnationis suæ. *Text. expr. in cap. 1. §. Moribus. tit. 26. F. 2. & in cap. fin. tit. 27. Vbi Gl. in Verbo Successionis. & Afflict. nu. 16. F. 1. Alciat. ad l. ult. C. de Pactis. Zas. de Feud. par. 6. num. 2. Pistorius. quæst. Iuris lib. 2. part. poster. quæst. 25. Fachinæus lib. 7. Controvers. cap. 28. Borchold. tract. Feud. c. 7. num.* 18. Ei enim nihil hoc facto præjudicatur, cum & aliàs de feudo testari nequeat; *cap. 1. §. Donare. tit. 9. & tit. 55. §. habito. F. 2.* & ipso mortuo, Domino aperiatur. *Gail. lib. 1. Obs. 155. nu. 2. & 4.* Si vero Vasallus non sit ultimus familiæ suæ, sed liberos habeat, tum potius sub dictâ conditione factam concessionem non valere, firmiter statuendum. *Gl. in d. cap. fin. tit. 27. F. 1. & ibidem Isernia & Afflict. per illum text.* Nec operari hic quidquam potest, quod ab identitate rationis ductum aliqui urgent argumentum; agitur quippe de consuetudine valdè odiosâ & Regulis Juris repugnante; quibus ut supra dictum, ejusmodi pactiones, tanquam contra bonos mores, & planè tristissimi ac periculosi eventus, reprobantur: quâ de causâ etiam mores isti feudales & consuetudines, strictè accipiendæ sunt, & non ultra expressos casus extendendæ. *l. 14. ff. de Legib. cap. quæ à Iure. de R. I. in 6. Fachin. d. lib. 7. controv. cap. 28. inf.*

110. Verum hactenus deducta, utcunque in secularibus ita obtineant feudis, an tamen ad Ecclesiastica etiam, præbendasque vacaturas extendi debeant & possint? nondum extra omnem controversiæ aleam positum reperitur. In Consilio sanè Lateranensi, decretum quondam fuit, ut nulla Ecclesiastica ministeria seu etiam beneficia, tribuantur alicui seu promittantur, antequam vacent. Ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium se crediderit successurum.

Cùm

Cum enim in ipsis etiam legibus gentilium, inveniatur inhibitum; turpe est, & divini plenum animadversione Judicii, si locum in Ecclesiâ Dei futuræ successionis exspectatio habeat, quam ipsi etiam gentiles condemnare curarunt. *uti text. est expressus in cap. nulla. & in cap. constitutus. de Conces. præben. Et tex. notabilis in cap. Detestanda. eod. tit. lib. 6.* Restringit tamen hanc textuum generalitatem ad eum saltem casum, cum certi hominis petitur beneficium, & non procedere ait, si generalis & incerta sit promissio super primâ præbendâ vacaturâ, in tali Ecclesiâ; Gail. *d. lib. 2. obs. 55. nu. 6.* sequutus Salyc. *in l. f. nu. 11. C. de pactis. Vbi dicit, ita tenere omnes. Ias. ibid. nu. 15. & facit text. in c. 1. Qui successores feud. dare ten.* Notandum autem hic, quod licet conditionalis ejusmodi investitura feudi, ab alio adhuc detenti, valida sit; si is tamen Episcopus vel Prælatus &c. qui investivit, antè decesserit, quam ei feudum fuerit apertum, successorem ejus non propterea teneri eandem ratam habere: nisi ille qui investituram acceperit, nomine ejus, in possessionem missus feudi sit, eo consentiente qui detinet. *d. cap. 1. Qui successor. feud. dare ten. cap. 1. De clerico qui invest. facit. c. 1. §. Moribus. Si de feudo def. contentio sit &c.*

111. Vtrum autem & quatenus Prælatus Ecclesiæ, illius queat infeudare bona? in quæstionem non inconcinnè duci & hic potest. Cum enim Laici sive Seculares, rerum quas habent sint Domini re verâ, Ecclesiastici vero administratores magis, rerum in dominio Ecclesiæ existentium; *cap. sine except. §. Episcopus. 12. quæst. 2. cum concordant.* tanta horum in iis alienandis non potest esse libertas, quanta illorum. Unde etiam Maxima illa descendit: Prælatum nihil posse de rebus Ecclesiæ disponere, vel quidquam alienare, permutare, aut immutare, sine Canonicis solennitatibus; hoc est, tractatu, consensu, sigillatione, & subscriptione capitulari. *d. cap. sine exceptione. 12. quæst. 2. c. nulli. de rebus Eccles. non alienand. cap. 1. & ibi Gl. in verb. perpetuis. eod. tit. in 6. cap. 1. & ibi Panorm. de his quæ fiunt à Præl. sine cons. Eccles.* Sed ut illa jam prætereamus bona, quæ cum à Capitulo distincta sint, liberrimæ Prælati cedunt administrationi; *per text. in c. edoceri. & ibi Bl. nu. 5. cum seq. Panorm. nu. 25. & Felin. nu. 2. Ex. de Rescriptis.* eum alia quoque Ecclesiæ bona, à Præpositis antecessoribus suis in feudum dari solita, absque tractatu & consensu capituli concedere, & dummodo id Ecclesiæ videat expedire, quemlibet de iis investire posse, Dd. nostri cõmuniter statuunt. *per text. in cap. ex parte. Ext. de Feudis. & cap. 1. de his qui feud. dare poss. Afflict. ibid. nu. 18. Vult. lib. 1. de Feud. c. 3. nu. 10.* Idque latè probat, notoriâque Germaniæ consuetudine firmari, asserit Gail. *lib. 2. obs. ult.* Quid autem requiratur, ut res in feudum dari solita dicatur, pluribus

docent.

docent, Vult. *d. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 14. Dn. Bocerus *de Investit. F. cap.* 3. *nu.* 61. Fachin *lib.* 7. *controv. cap.* 67. *& seqq.* Et extat egregium ea de re responsum, Nicol. Everhardi Jun. *cons.* 19. *vol.* 2. Ego illam mihi impræsentiarum non despondeo litem; sed intra terminos me continens materiæ principalis, quod ejusdem deposcit aliqualis pertractatio, primis saltuatim attingo labris.

112. Summam autem rerum earum, quæ in feudum dari jure possunt, & ob benemerita conceduntur plerunque, exhibet nobis Obertus, *in cap.* 1. § *sciendum. de Feudi cognit.* Ea autem Regalia quoque comprehendi, tradunt præter Dd. alios, Zas. *part.* 5. *nu.* 12. & Schrad. *de feudis par.* 4. *cap.* 1. *num.* 9. Hæcque ut in majora & minora communiter dispertiunt, *Sixtin.* 1. *de Regal.* 2. *nu.* 1. *Ferrar. Montan.* 5. *feud.* 7. *Borch. cap.* 1. *nu.* 3. & illa dignitatem summi Principis, hæc fiscum spectare, ajunt. *Dn. Bocerus de Investit. feudi cap.* 3. *nu.* 97. *Vult. lib.* 1. *de F. cap.* 5. *nu.* 7. Ita quænam ex iis feudi vel alio titulo concedi queant? non omnibus convenit. Rectè quidem concludere videntur, qui Principem omnia Regalia, majora & minora concedere aliis posse, asseverant: quos referunt ac sequuntur, Didac. Covarr. *in cap. possessor.* §. 2. *nu.* 8. *vers. tertia species. tit. de Reg. I. in* 6. Menoch. *consil.* 201. *nu.* 127. *& seqq.* Joann. Borchold. *in explic. c. unic. nu.* 7. *&* 8. *quæ sint Regalia.* & Rosenthal *in synopsi I. Feud. cap.* 5. *concl.* 9. Rectius adhuc illi, qui ipsam hanc regalium distinctionem, planè exigui esse momenti, autumant; & quæ alii Regalia minora sivè Fisci appellant, nihil aliud esse censent, quam Extraordinariæ Collationis, nervorumque Reip. procurationis, effectus, vel speciales exactionum modos; sub uno generali Regalium capite, cujus vigore, rerum gerendarum nervos quævis procurat summa potestas, comprehensos. *Dn. Præses lib.* 1. *polit. cap.* 4. *nu* 1. *sect* 2. Sed quænam sint illa jura, quæ majorum Regalium veniunt nomine & concedi queunt, multis non est expeditum; summamque eo in negotio excitare videntur difficultatem, qui Majestatis sive Imperii Jura, alienum quid esse à Regalibus, & hæc ab illis specie differre, speciosè asserunt; inter quos etiam acutissimus est Clapmarius. *de Arcan. Rerump. lib.* 1. *cap.* 21.

113. Ego, melius (quantum quidem perspicere hucusque potui) à Dn. Præside & Patrono meo edoctus, rem hanc faciliorem mihi reddo; & existimo; illa ipsa, quæ cùm jure proprio competunt, Majestatis audiunt Jura, si feudi vel alio legitimo, in parte gubernationis concessæ exerceantur titulo, speciali Regalium insigniri appellatione, & concedi sine Majestatis diminutione, indifferenter posse. Nec ut spero, absurditatis ullius me arguet, qui quantum Majestatis Jura ab ipsa distent Majestate,

ſtate, & illa functionum instar ab hâc profluere; sicque legibus esse solutum, non Regale, specie ab aliis contradistinctum, sed ipsius Majestatis essentiale existere adjunctum, perspicit, *V. laudatum Dn. Præs. d. l. 1. Polit. cap. 4. nu. 1. in not. at. n. item 56. & seq.* Cui accedunt allegati à Thomâ Michaël. *disp. de Iurisd. concl. 24.* & Camman. *de Iure Maiest. disp. 1. thes. 93.* Quemadmodum enim Jus Emphiteuticum constituere alteri in re meâ possum, salvâ mihi ejusdem manente proprietate, licet Jus illud revocare nequeam: ita illæsâ Majestate, omnium & singulorum quibus ea pollet Jurium, benefica potest fieri concessio; non tamen (sine Status mutatione) ulla societatis jure communicatio seu abdicatio: quo casu Princeps, homicida propriæ meritò dicitur dignitatis. *Bl. in cap. licet causam. sub. nu. 7. Ext. de Probat.*

114. Est enim & aliàs illud in universum tenendum, quod si Princeps ob egregia belli vel pacis facinora, in Reip. utilitatem præclarè gesta, aut aliâ ex causâ, Baroniam, Marchionatum, Comitatum, Ducatumve, cuicunque ac quocunque titulo & prærogativâ concesserit: fidei tamen obligationem, clientelamque sibi debitam, sed & eam jurisdictionem, quæ apud Principem summa est, cujusque jure, vel provocationes à Judicibus inferioribus, aut supplicationes & recursus, aliæque causæ ad eum, ceu supremum caput & Reip. patrem, deferuntur, nequaquam transtulisse, à seve abdicasse videri; etiamsi verbis hâc in re utatur, quo ad significationem uberrimis, amplissimisque. *Molinæus ad consuet. Paris. tit. 1. §. 1. Gl. 5. in verbo, le fief. nu. 49. Surdus cons. 275. per tot. vol. 2. Et Dd. quos magno satis allegat & laudat numero, Dn. Præses in tract. de Appellat. cap. 2. nu. 16.* Sicuti etiam Romano Germanici Imperii Status, potestatem licet in suis obtineant territoriis, illi æqualem Jurisdictioni, quam Imperator in universo habet Imperio. *Mod. Pist. cons. 24. nu. 1. vol. 1. Wesemb. cons. 27. nu. 29. Dauth. de Test. am. nu. 36. Borchold. de feud. c. de Reg. al. nu. 7. Cluten in suâ Syllog. Th. 26. Thom. Michaël. d. disp. de Iurisd. concl. 45.* Unde non Baldus solùm pro Regibus eos habet, *in l. fin. C. de Testam. milit.* sed Imperator quoque Carolus V. in aliis regnis mancipiis se & servis, in Germaniâ verò Regibus imperitare, jactabat: Cæsarem tamen & Imperium pro superiore recognoscunt, iisque non feudi solùm, sed & personæ nomine obligati censentur. *Rosenthal. de feud. cap. 5. concluſ. 13. Musculus de success. membr. 1. fol. 14. Dn. Præses d. tract. de Appell. cap. 2. nu. 20. Et lib. 1. Polit. cap. 4. nu. ult. cap. item 9. nu. 5. & seqq.* Regulariter enim & semper major reservata, quam concessa putatur potestas. *c. dudum. §. hoc igitur. de præbend. in 6. l. inquisitio. & ibi Dd. C. de solut. Knichen. de Iure territorii. cap. 1. nu. 315. &c.*

115. Non

115. Non igitur solùm Minora sed & Majora Regalia, feudi vel alio titulo, dare alicui ob benè merita sine Majestatis diminutione Princeps expresè potest: sed etiam investiens aliquem de Ducatu, Comitatu &c. cum generali pertinentiarum Regaliumque concessione, illa omnia & quæcunque ex usu recepto pro Regalibus habentur, indulsisse re ipsâ censetur. *Knichen de Sax. non provoc. Iure. fol. 316. ad verb. Ducum &c. cap. 7. nu. 10. usq; ad fin. cap. Arum. disp. feud. 4. thes. 22. Th. Michaël. d. disp. Th. 46.* Regalia enim dignitatibus Regalibus, uti Ducatibus, Marchionatibus, quasi continentur; & ut plurimum competunt vigore illius superioritatis, quam territoria illa annexa habent. Vnde etiam jus territorii, & Germanicè die Landesfürstliche Obrigkeit / non immeritò dicitur. *fac. cap. 1. in pr. de feud. March. Anton. Peregrin. de Iure fisci. Rubr. 2. de iis qui Iura fiscal. habent. nu. 76. Ferrar. Montan. in tract feud. l. 5. cap. 7. vers. Igitur.* Estque hoc ut arbitror, idipsum, quod virtute & efficaciâ relationis, tacitè Regalia tribui, ex Decian. *cons. 123. nu. 31. iunct. nu. 10. & 11.* perhibet Vultejus *de feud. lib. 1. cap 5. nu. 7. vers. Atq; possunt quidem.*

116. Illud insuper hic addendum, quod cum quis propter benemerita in præjudicium alterius infeudatur; *ut in casu cap. 1. quemad. feud. ad fil. pert. In usibus Feud. Cui adde, cap. ult. inf. Extr. de Pecul. cleric. c. si quos de servis. 12. quæst. 2. l. 9. ff. si quid in fraud. patroni.* in diplomate investituræ merita illa speciatim esse memoranda: *l. Aquilius Regulus. 27. & ibi Angel. Perus. ff. de donat.* nec sufficere, si genericiseorum mentio fiat verbis. *Mynsing. cent. 4. Obs. 88. Decia. cons. 32. vol. 3. nu. 57.* Quia per generalis clausulæ (ob benemerita) adjectionem, quilibet facilè eludere Jura posset: & magis id spectari debet, quod in veritate subsistit, quam quod simulant partes. *l. si fortè, 8. de Castr. pecul. & facit l. 22. C. de Agric. & censit.* Ad hæc, paria sunt, aliquid non exprimere, vel exprimere ita perplexè & obscurè, ut nequeat intelligi: *tex. in l. 11. §. nihil interest. de Interrogat.* Id quod factum intelligitur, si generalis tantum rei alicujus fiat mentio. *l. 40. de iure fis. cum simil. Copiosè Crav. in consil. 265. nu. 4. Tiraq. in tract. de Retract. consang. §. 36. Gl. 2. nu. 30.* Hancque opinionem uti magis consonam veritati, defendunt acriter, Socin. Sen. *in consil. 195. lib. 2.* & Menoch. *consil. 112. vol. 2.* contra Jasonem, *in cons. 154. lib. 2.* & Decium *in Cons. 20. & cons. 366. nu. 11.* Quorum argumentis respondet Menoch. *d. l. nu. 27. & seqq.* Nobis hæc de feudis præmiorum occasione, dixisse sufficiat.

BENEFICIA PRIMARUM PRECUM.

117. Ad eandem Præmiorum causam Beneficia quoque refero, quæ ad primarias Cæsaris preces sive nominationem, in omnibus & singulis Cathedralibus Ecclesiis & monasteriis Germaniæ,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [69] - 65

totidem conferuntur benemeritis. *Specul. at. lib. 4. tit. de Præbendis. §. Restat. Boër. decis. 32. nu. 81. Bursat. cons. 126. nu. 39. & seq. P. Gregor. Tholos. lib. 17. Syntag. cap. 7. nu. 21. Freher. ad Petr. de Andlo. f. 179. &c.* Quod Jus Papæ indulto & privilegio, Cæsari competere, arbitratur quidem Gail. *lib. 2. obs. 155. n. fin.* & Matth. Steph. *de Iurisd. lib. 3. part. 1. c. 4. nu. 18. &c.* Contrarium autem, & proprium hoc esse Cæsareæ Majestatis Jus, ex diversis primariarum precum diplomatibus pervetustis, optimè evincit Dn. Clutenius, *in suâ Syllog. rer. quotidian. Th. 19. lit. B.* Quo præsuppositio, ad arduam illam quæstionem, utrum scil. dictæ hæ primariæ Imperatoris preces, locum quoque in beneficiis vacantibus statuum Augustanæ confessionis habeant? affirmativè sine periculo responderi posse, videtur. Si nimirum illæ Canonicorum vel capitularium quondam præbendæ, non in alios magis pios, Reique publicæ salutares usus, jam conversi sint; & nisi alienæ religionis addictos obtrudendo, pax quoquo modo violetur Religiosa. *V. consil. ICti cuiusdam Anonymi, quod observationibus suis subnexit Christoph. Schwanmann, pag. 99. Et d. etiam inseruit loco, Matth. Stephani.*

DONATIONES RERUM IMMOBILIUM, ET MOBILIUM.

118. Huc spectare etiam manifestum est, cæteras omnes liberaliores Principum erogationes, & merentibus ex publico cedentes donationes; quæ non in pecunia tantùm numerata, aurove & argento aliisque rebus consistunt mobilibus, sed ad res quoque soli & solo cohærentes, promiscuè extenduntur. Civitatem enim & castrum posse donari à Principe, propter merita & servitia, ait Bl. *in l. 2. C. de LL. & in Consil. 159. incip. super eo quod quæritur. col. pennl. vol. 3. ut & in l. cum multa C. de bonis quæ lib.* Vbi eum Dd. communiter sequuntur, & statuunt: quod quamvis Papa non possit unam magnam atque preciosam civitatem, sine Cardinalium consensu alicui infeudare, possit tamen civitatem non ita preciosam & magnam, & multo fortius oppidum seu castrum alicui benemerito donare. Iisque accedere videtur Br. *in consil. 196. nu. 1. per tex. in cap. Abbate sanè. vers. sed ad hæc. de Sent. & re Iudicat. in 6.* quem sequuntur plurimi alii Dd. quos videre licet apud Vasquium. *lib. 1. Illustr. controv. cap. 4. nu. 1. &* Dn. D. Harpprecht. *ad inscript. proœmii Institut. nu. 45.* Quorum uterque tamen re graviter & prolixè ponderatâ, eorum magis approbat sententiam, qui Principem nullam territorii partem liberè alienare, & sic donare alii quâcunque ex causa posse, contendunt: Vertitur enim magni momenti de potestate Principis hâc in re, illustris controversia, circa cujus decisionem multi diu desudarunt JCti.

119. Ego si quod sentio dicendum foret; arbitrarer, respiciendum esse inprimis ad Statum, formam & consuetudinem cujusque Reipub

pub. vel Principatus; hæcque uti præſcribunt, ita judicandum. *Facit l. 13. §. ſi conſtat. ff. commun. prædior l. 5. § Legem quoq;. de Iure immunit. Gl. 1. in l. de quibus. 32. ff. de Legibus. Gl. perpetua. in l. item. 6. ff. Quod cuiuſque univerſ. nom.* Quod nec ipſe diffitetur Vaſquius; dum ſententia ſua licet generaliter procedat, in Regnis tamen Hiſpaniarum, ſervanda eſſe illorum jura ſpecialia, expreſsè ſcribit, *citato cap. nu. 7. in f.* Et ex hâc quoque ratione, omnia illa quæ Dn. Præceptor D. Harpprechtus *d. loco. nu. 46. ac multis ſeqq.* in ſpecie de Romano Germanico aſſerit Imperio, illibata ſunto.

120. In Theſi autem optimè eos ſentire exiſtimo, qui inter bona Principis diſtinguunt. *Hottom. in Franco Galliâ cap. 8. & quæſt. illuſtr. 1. P. Greg. Tholoſ. lib. 3. de Rep. cap. 2. nu. 10.* Res enim aliæ in privato Principis patrimonio ſunt, quas proprio nomine quæſitas, aut à Majoribus, alio quàm Principatus nomine relictas habet. *l. 39. §. ult. de Leg. 1. l. 3. C. de quadr. præſcr.* Unde etiam res privatæ, & privata Principis ſubſtantia, & res dominicæ, itemque patrimoniales appellantur. *l pen. & ult C. de fundis patrim. V. Vult. lib. 1. Iuriſpr. R. cap. 13 nu. 81.* Haſque donari, diſtrahive quocunque titulo poſſe, nullum eſt dubium: *propter d. l. 39. §. fin. de Leg. 1. l. 9. & l. ſeq. C. de fund. patrim.* Et quia quilibet rei ſuæ moderator eſt & arbiter. *l. 21. C. Mandati. l. 25. §. conſuluit. 11. l. 31. § ſicut. de petit. heredit. Iunctâ l. 6. in pr. & f. & l. 28. ff. de Iure fiſci. l. 2. C. de privil. fiſci.*

121. Aliæ ſunt & dicuntur res fiſci, ab illis expreſsè ſeparatæ, *per l. ult. ff. qui pot. in pign. l. fiſcus. 6. §. 1. de Iure fiſci. l. 49. ff. Locati. cum ſimil.* Idem tamen etiam de his ferendum eſſe judicium, conſtat ex *l. 2. §. Hoc interdictum. 4. ff. Ne quid in loc. pub. & d. l. 3. C. de quadr. præſcript.* Quod ego de bonis confiſcatis. v. g. damnatorum, aut quæ ut indignis auferuntur & ſimilibus, accipiendum duco; ut nimirum Princeps ea, tanquam res Jure abſoluti Dominij ad ſe ſpectantes (quamvis uſibus & neceſſitati Reip. bellorumque ſumptibus deſervire inprimis debeant) donare tamen & alienare pro lubitu poſſit. Ipſe enim Fiſcus (quod Juris vocabulum eſt) non tam in Principis, quàm in principatus patrimonio eſt; eique ad ſuam dignitatem tuendam, quaſi uſusfructus nomine attribuitur. *Hottoman. quæſt. illuſtr. 1 pag. m. 19. Vult. d. l. 1. Iuriſpr. cap. 13. nu. 80.* Haud ſecus igitur ac uſufructuarius, non utitur tantum fructibus, ſed abutitur etiam: quippe quod fructuum ex re uſufructuariâ perceptorum, non ſit uſufructuarius, ſed pleno Jure Dominus (unde & ad heredes eoſdem tranſmittit. *l. quæſcit 25. § 1 ff. de Vſur.*) ut res quidem in uſu fructu eſſe dicatur, non in abuſu; fructus in abuſu, non in uſufructu. *Vult. d. lib. 1. cap. 63. nu. 25.* Ita bona Vacantia eorum qui ſine herede decedunt, aut res alias Fiſco ſubindè cedentes,

dentes, Principem quidem donare ut Dominum posse, Fiscum vero ipsum, tanquam Imperii jure in successorem, etsi heres is Principis non sit, transeuntem, alienare neutiquam posse, existimo. Licet in partibus gubernationis concessæ, ejusdem quoddam jus feudi titulo concedere non prohibeatur: *Vult. lib. 1. de Feud. cap. 5. nu. 7. vers. Minora Regalia. FF. communiter, in cap 1. Quæ sint Regalia.* quia alia ratione multos & locupletes habere Vasallos, Reip. interest. *V. Dn. Præs. de Ærar. cap. 1. nu. 1. vers. 3.* Ejusque intuitu Justitiam ii gratis administrare, & criminales sententias suis exequi sumptibus, tenentur. *Heig. part. 2. quæst. 23. Wesemb. consil. 150.* Quæ autem sit inter Ærarium & Fiscum differentia, & quo pacto horum promiscua fuerit inducta mentio, *V. d. tract. Domini Præsidis de Aerar. cap. 1. num. 3. per tot.*

122. Præter hæc fiscalia Jura, certæ quædam plerunque Principibus possessiones, ad tuendum dignitatis suæ splendorem fruendæ assignantur; quarum proprietas principatui adnexa vel incorporata manet, & Dos Reip. appellitantur: quod Princeps eas quasi dotales, in inauguratione sui Principatus, tanquam per desponsationem sibi conjuncti accipiat. Nuncupantur etiam communiter Domanium Reip. sive Coronæ; vulgò **Cammer oder auch Tafelgüter.** Et sicut fiscalia emolumenta, ad gratuitam Justitiæ administrationem, Regnique & Reip. statum omnibus modis conservandum, destinata inprimis sunt; ita Domanium ad ipsius Principis usum, hoc est annonam & victum, cultumque ipsius Majestati consentaneum, propriè spectat. *Hottom. in Franco Gallia. cap. 9. à pr.* Hæc bona quod attinet, verissima videtur de iis Dd. opinio, existimantium; par, idemque esse jus Principis in suum Domanium, quod est viri in dotem suæ Vxoris. Vti præter cæteros tradunt Luc. de Penna *in l. quocunq; 3. C. de omni agr. def.* Paris de Put. *de syndicatu. sub Rubr. de Excess. Imper.* And. Isern. *in tit. Feud. quæ sunt Regal.* Et ita alienari ea sine statuum aut populi consensu nullo titulo posse. *V. Wesemb. in parat. ff. de fund. dot. num. 1. & 5.*

123. Cæteræ res, & illæ quidem primùm, quæ ut in publico totius Reip. dominio sint, jure tamen privatorum possidentur & administrantur; **Gemeiner Landtschafft Güter vnd einkommen**: quemadmodum & illæ quæ in patrimonio certarum urbium vel ita sunt, ut usus etiam earum, intuitu civium sit publicus, v. g. Theatra, spatia publica, **Allmanden vnd Waiden.** &c. §. 7. *Inst. de rer. divis. Dn. Præses lib. 1. Polit. 12. nu. 5. & 6.* Vel ita, ut usus earum ad singulos non pertineat cives, sed in totius corporis utilitatem convertatur, **Einer Statt sunderbahre Güter.** *l. 17.*

Quod

Quod cuiusq; Universf. Wesemb. in Parat. de Rer. divis. nu. 3. Dn. Præses. d. loc. nu. 9. ac denique singulorum privatorum bona; à Principe suo vindicari dominio, donari, aut quacunque ratione in alios transferri, sine eorum quorum interest, consensu, nullo jure possunt. Per ea quæ elegantissimè deduxit Valascus, *de iure Emphyt. quæst. 8. nu. 38. & multis seqq. Chass. in Consuet. Burg. Rubr. 3. § 4. ad verbum Apres le dit hommage nu. 13 & seq. Wesemb. cons. 62. nu 28. Gail, 2 Obs. 62. nu 9. Hottom. quæst. Illustr. 1. pag. m. 21, & seq. Menoch. 3. præs. 100. nu. 8.* Nisi ea fortassis admissa limitatione, de qua supra Num. 19. *Vbi adde Vasq. lib. 1. controv. cap. 5. nu. 1. 15. & 16. Niell. disp. feud. 2. thes. 3.*

124. Quod si autem sermo sit, non de Dominio particulari (cujus intuitu res modo distinctæ sunt, & hujus vel illius esse dicuntur) sed universali illo, quod in Jurisdictione & Legitimâ constitit administratione, cujusque respectu, omnia Principis esse dicuntur, *in l. deprecatio. ff. ad. L. Rhod. l. Bene à Zenone. C. de quadr. præscript.* Et quæstio instituatur; Vtrum aliquam territorii sibi generaliter commissi partem, & sic subditos etiam invitos, Princeps ex plenitudine potestatis alieno cuicunque subiicere possit Imperio? id in thesi negandum videtur absolutè. Per ea quæ tradunt Barthol. de las Casas. *in tract. hac de sing. per tot.* Ferd. Vasquius. *d. lib. 1. controv. cap. 4.* Hottom. *d. quæst. 1. pag 25. & seqq.* Dn. Præses *de Aerario. c. 6. n. 3. & locis aliis pluribus.* Cluten. *in suâ Syllog. th. 17. lit. d.* Et plurimi ab his citati Dd, alii. Quorum unanimi consensu, nec ad distractionem portionis alicujus de territorio, nisi in Extremâ necessitate, & quidem Ordinum accedente consensu, perveniendum; nec cives inviti, alterius possunt subiici ditioni: nisi arctiori quàm simplicis subjectionis vinculo, ac ut loquuntur Dd. Vasallitii jure, Principi suo obligati reperiantur. Ejusmodi enim servilis conditionis homines, ex quâcunque justâ causâ, & signanter ex causâ remunerationis in alium transferri posse, notant communiter Dd. *in l. invitus. 34. ff. de fideicom. libert. Felyn. in cap. quæ in Ecclesiar. in. 19. col. de constitut. Hyppol. de Marsilius in l. 1. §. cum quidam. in 1. col. ff. de Quæst. Et alii, quos refert & sequitur Vasq. d. l. cap. 5. nu. 12. Et facit. l. 7. C. de Agric. & censitis.* Potest etenim homo pacto promittere, pro se suisque heredibus, se alicujus fore, eique certo modo servire se velle. *l. 22. C. d. tit. Barthol. de las Casas. d. l. §. 34. nu. 1.*

125. Bona vero mobilia, quin ea liberè & inprimis remunerandi causâ donare possit Princeps, extra omnem controversiam in tantum est, ut ad quamcunque ea ascendant summam, nullâ opus sit insinuatione. *l. 19. de Sacrosanct. Eccles. Nov. 52. cap. 2.* quod tamen non ex eo descendere

cendere jure, existimandum est, quo privatorum etiam donationes remuneratoriæ (quas præmiorum nomine non venire, supra *Num.* 13. dixi) insinuatione non egent. *l. si pater. 34. §. fin. de Donat. Iul. Clarus lib. 4. sent. §. donatio. quæst. 16. nu. 5. Gail. lib. 2. obs. 40. nu. 8.* Cum in omnibus id Principum donationibus generatim procedat; quasi scil. nullæ donationes à Principe factæ, immensæ videri debeant: aut liberalitas Principis nullis hujusmodi frenis & cancellis coërceri debeat, ut inquit Marcus Mant *cons. 1. col. 2. nu. 15. per leg. pen. C. de don. int. vir. & ux. & l. ult. C. de præp. agen. in reb. lib. 12.* Ac ex eo id competat privilegio, quo sollemnibus juris, Legibus item caducariis & similibus, Princeps solutus est. *l. 3. §. licet. C. de Testam. Dn. Præs. lib. 1. Polit. cap. 2. nu. 34. Facit. tex. in l. 34. v. exceptis. ibi*, firmam habere propriam majestatem. *Et tex. in l. 3. in f. ibi.* Qui suis consiliis, suisque laboribus pro toto orbe terrarum, die noctuque laborant, quare non habeant dignum suâ prærogativa fortunam? *C. de quadrien. præscript.* Cujus quoque vigore, multa alia specialia circa donationes Principum observantur, quæ recenset & suis roborat fundamentis, Tiraq. *de Nobil. cap. 37. num. 51. usq; ad 61.*

126. Ita subindè fieri assolet, ut Princeps sive Civitas, præmium in pecuniâ vel re quacunque alia ei constituat, qui turbatorem pacis publicæ, bannitumve ceperit aut occiderit: quemadmodum Philippus II. Hispaniarum Rex, præmium Octoginta millium Ducatorum illi solvendum, qui Antonium (aliàs Priorem Cratensem) tanquam perduellionis reum necasset, constituit: ut odiosa silentio nunc præteream exempla. Sed quæstio hic movetur; Vtrum stante ejusmodi statuto, si ignorans illud, eum cujus causâ promulgatum est capiat vel interficiat, præmium ei propositum debeatur? Et quamvis videatur, suam contra eum allegari posse ad impediendum lucrum, ignorantiam; *ut in l. si is. 63. §. quod si servus. de adquir. rer. domin. Arg. l. 3. §. Vtrum. 14. de SCto. Silan.* Placet tamen distinctio Bartoli *in l. omnes populi, in quæst. 5. principali. nu. 38. de I. & I.* Ex cujus mente, aliud est ignorare illum esse bannitum vel perduellionis reum, & aliud est ignorare statutum præmians capientem. Vt priori casu locum habeat, quod allegatæ modò Leges innuunt. Secundo vero casu, talis ignorantia non noceat; quia datâ operâ & sic ultrò eum cepit, non ut illic fortuitò (*V. Br. ad l. 3. § utrum. de SCto. Silan.*) quamvis statutum ignoraverit; quod nihil ei obest: commodum enim à statuto datum, quæritur etiam ignoranti statutum. *l. cum pater. 77. §. surdo. de Leg. 2. l. pen. de Iureiur. l. pen. & ibi Br. C. de Decurion.* Et quamvis enunciato huic graviter refragari videantur tex. *in l. 38. in pr. de Adquir. possess. & in cap. si tibi. de Præbend.*

Conestag. de Portug. & Cast. conjunct. lib. 7. pag. 389.

bend. in.6. Qui ad hoc ut beneficium alicui adquiratur, ejus requirere videntur scientiam; ego tamen tùm saltem, cum uti in illis textibus de conferendo certæ notæque personæ beneficio agitur, illud procedere autumo, non autem si aliquid indeterminatè & universaliter, quodque adquiri ab omnibus possit, constituatur. Sicuti etiam beneficia & privilegia, militibus, minoribus, rusticis, fœminis &c. jure nostro concessa, ipsis ignorantibus prodesse videmus. Hâcque distinctione admissâ, salva manent ea, quæ de Nobilitate *sup. Num. 100.* asserui. Et utitur adhuc aliâ Bald. *in l. falsus. 8. C. de furtis & servo corr.* agitque hâc de re latè Enenck. *de priv. 1. C. lib. 2. cap. 6. nu. 16, & multis seqq.*

127. Sed quid si eodem stante statuto aliud insuper in medio sit, quo omnes per provinciam illam commorantes, rumore excitato concurrere, & latrones vel bannitos capere cogantur, & quidam bannitum ejusmodi perquirens, si fugere eum videat, rusticos vel Cives in proximo habitantes ad ipsius detentionem clamoribus compellat, iique capiant eum, anne præmium alicui debebitur? Negat id Br. *in d. l. 3. §. utrum. de SCto. Silan.* Et quidem Civibus illis sive rusticis non deberi existimat, quia incitati non sponte sed coacti illum ceperunt. *d. §. utrum. ibi, magis est ut ille hoc præmio dignus sit, qui ultrò &c.* Non illi qui insequutus fuit; quia eum non cepit. *l. si Barsatorum. 13. C. de Fideiuss. l. In laqueum. 55. de Adquir. rer. dom.* Verum, contra tanti viri authoritatem quamvis non lubens aliquid statuam, æquius tamen fore videtur, si insequenti præmium propositum adjudicetur.. Causa enim causæ, causa quoque est causati. Et contra legum subtilitates, veritas rei valet. *l. penul. Cod. de jure dot.* Estque æquitas in omnibus, maximè in Jure spectanda. *l. In omnibus. 92. de R. I. Gl. humanius. in l. Barbarius. de Offic. Prætor. Gl. fin. in l. sibi tibi. 25. de donation. &c.* Ita ut à verbis legis recedendum sit, mensque servanda, ubi ex verbis simpliciter & strictè intellectis, iniquitas resultat. *l. scire 15. §. aliud. de Excusat. tut.* De eo autem qui cum ratione officii ad aliquid teneatur, si præmio ei qui id fecerit promisso, ipse præstet, commodior infra uti spero, differendi locus dabitur.

128. Ad donationes ejusmodi, referenda quoque præda, militibus quæ in præmium cedit; eamque Romani olim interdum indulgebant universam; plerunque autem ejus pars in honorem Deorum cremata, pars alia militibus ab Imperatore Exercitus distributa fuit. *Obrecht. disp. de re mil. thes. 868. & seqq.* Quemadmodum & agri bello capti ipsis concessi. *l. in agris. 16. & ibi Gothofr. ff. de adquir. rer. domin.* præcipuè veteranis & emeritis. Unde Lucanus.

Quæ sedes (ait) *erit emeritis, quæ rura dabuntur,*
Quæ noster veteranus aret?

Vestes item, adoreum seu far, & vinum, præmii loco ob res prædatè gestas donata fuerunt: aucta haud raro stipendia; sicuti id inter Hispanos etiamnum usu venire ajunt. Quotusquisque enim ibi miles singulare quoddam Virtutis edit specimen, statim à Duce suo menstrui stipendii, ad minimum duorum, ad summum vero octo aureorum, perpetuum accipit auctarium; aliudque alii superadditur toties, quoties nova quem commendant merita. Cujus rei ingentem utilitatem deprædicat, ejusque usum popularibus suis majorem in modum commendat, La Nouë *discours.* 17.

129. Porrò cum omnia orta, non solũ recto naturæ ordine occidant, & aucta senescant, ac quidquid ubiq; est, fiat primùm, crescat paulisper, mox iterũ decrescat; sed vita etiam mortaliũ tot aliis casibus tantisque sit subjecta periclis, ut inter quamplurimos qui vel togâ vel sago Reip. inserviunt, vix paucos reperire liceat, queis non vel extrinsecus illata damna, vel animi soliciti anxiæ curæ, si non in totum fata accelerare videantur, fragile hoc tamen & imbecillum corpus, variis miserè afficiant morbis, rebusque gerendis ineptum reddant: prudens ideoque Magistratus, ne harum intuitu ærumnarum, studium omne in divitiis privatis, curisque domesticis & illiberalibus aliis ponatur, pietatis & gratitudinis suæ erga emeritos vel ægrotos ac mutilos ejusmodi, luculenta extare facit exempla. In duobus contristatum est cor meum, inquit Siracides, vir bellator deficiens per inopiam: & vir sensatus contemptus. *Cap. 26. Vers. 25.* Annuæ ideoque his ad dies vitæ constituuntur ferè pensiones, vulgò **Leibgeding**; quæ cum feudo Soldatæ (*de quo in tit. Quis dicatur Dux &c. in usibus FF.*) ejusque speciebus de quibus supra, *Num.* 10& in omnibus penè conveniunt. Pro militibus autem in specie, Xenodochia haud raro fundantur & instituuntur satis magnifica, **Soldaten Spitzhål**: Quale etiam illud est, de quo Equitum Hospitaliorum S. Johannis ordinem defluxisse dixi; quodque etiamnum Melitæ ægrotos senioque confectos milites, supra fidem excipit & tractat splendidè. In Galliâ per Abbatias hinc indè distribuuntur, ibique ad vitæ sustentationem, monachi laici (uti vocât) singuli accipiunt præbendam. *La Nouë d. disc. 17. & V. Boccal. cent. 2. Ragg. 22.*

Nos affections nous emportent au delà de nous. de Montaig. au 1. des Ess. chap. 3.

130. Cumque cogitationum nostrarum vana & terrestris merè solicitudo, ipsius vitæ non erubescat transcendere limites, semperque haud minus ac nobis, nostris prospectum velimus posteris; benè morata ideo Resp. sapientissimè magno suadente Platone, eorum qui pro ipsius occubuerunt

occubuerunt salute, & parentes & liberos, summâ complecti debet curâ, & si potest, alere. Sicuti enim nihil est quod deterrere magis alios ab avitæ viâ virtutis, à novâ & propriâ alios possit, quam si virtutem eodem cum corpore subjectam esse fato, eodemque sepeliri tumulo, & sic paterna merita ad liberorum levandam egestatem nihil prodesse perspiciunt: ita haud ullum detrectabit officium, qui de ipsorum honorificâ tractatione est certus; ac vix offerre se periculum poterit, quod hac amotâ morâ, non cum alacritate lubens quivis subeat pater. Athenienses, quos non minus innumera passim erecta trophæa victoriæque, quam literæ & studia humanitatis nobilitarunt: quanto cum honore ac solennitate bello peremptos publicè sepelierint, liberos quin etiam eorum publicè aluerint, prolixè Thucydides, describit. Iidemque tam grati erga omnem Lycurgi posteritatem fuerunt, ut ex eâ seniori semper, perpetuum penderent subsidium. De Venetorum clarissimâ & prudentissimâ Rep. eos post pugnam cum Carolo VIII. Franciæ Rege, non solùm stipendia iis qui fortiter egerant, auxisse, sed & complurium qui in acie ceciderant filiis, stipendia aliaque præmia, filiabus vero dotem contulisse, Guicciardinus memorat. Quod iterum fecisse accepimus, superioris seculi anno 71. postquam Selimi Turcarum Tyranni classem, ad Naupactum, æternâ cum gloriâ represserunt. *V. Camerar. 2. meditat. histor. 56. Enenck. de priv. milit. lib. 2. priv. 31.* Nobis hæc de præmiorum præciputs disseruisse sufficiat speciebus; plura dicturi, ni temporis nos premeret penuria.

Jean de Marnix, Sect. 3. Resol. 2.

CAPUT POSTERIUS.

IN QUO DE MODO, ENUMERATA PRÆMIA DISTRIBUENDI,

secundum aliquot causarum genera & circumstantias, per generalem ferè agitur discursum.

131. Quemadmodum autem parvum est, in Civitate jus esse, nisi sint qui jura regant. *l. 2. § 13. de O. I.* ita scire quænam bonis proposita sint præmia, illud quidem exiguum est, nisi ad usum ea suum, societatisque humanæ applicentur commodum: quod quâ ritè expediatur ratione, nunc breviter videndum. Majestatem autem tanquam in summo collocatam fastigio, fontem esse omnium dignitatum, ex quo honores, tituli, & quævis descendant præeminentiæ, ac dignis veluti à sole radii communicentur; eidemque sic præmiorum & beneficiorum publicorum reservatam censeri distributionem, multâ haud mihi indigere videtur

probatione. *Bornit. de Maiestat. cap. 20. Dn. Præses lib. 1. Polit. cap. 3 nu. 9. & 47.* Hincque illa in definitione posita vox, PUBLICITUS; quæ sicuti omnem cujusvis Reip. respicit primariam administrationem, ita in Monarchico sive absoluto sive subalterno statu, ipsam Principis nobis denotat manum.

132. Quamvis enim tam pœnarum irrogationes, quàm præmiorum à summa potestate dependeant distributiones, ad colligandam tamen omnibus modis subditorum benevolentiam, altero Justitiæ brachio quo severum vindictæ tenet gladium, Magistratui inferiori prudenter relicto, stateram ipse Princeps sibi vindicet soli, qui meritis probè ponderatis aliorum, iis condigna æquâ tribuat lance hostimenta. Eum, inquit Xenophon *in Hier.* qui non rectè aliquid agit conviciis incessere, cogere, mulctare, punire: hæc vero cum odio quodam potius fieri necesse est. Quamobrem ajo equidem, id quod necessitas requirit debere illum qui cum Imperio est aliis puniendum mandare: præmia vero per se ipsum largiri. &c. Idque tùm ut nullis hoc coarctatum legibus, principalis potestatis jus, privatorum effugiens affectus, sano exerceatur arbitrio, fructusque inde is ad quem meritò spectant, percipiat solus; tùm quo majus ea ipsa à tanto procedentia fastigio, accipiant pondus; quippe

exigua quamvis res,
Multiplicat tamen hunc gravitas auctoris honorem:
Et Maiestatem, res data dantis habet.

Cumque vix aliud sit quod animum rectum majore afficiat gaudio, quàm cum sua ab ipso Principe notari sentit facta; gratiora quoque haud dubiè erunt præmia, quæ ab ipsius personâ, quam magistratuum procedunt officiis.

Acceptissima semper
Munera sunt auctor quæ pretiosa facit.

133. Vtque Princeps quod prudentiæ suæ & Justitiæ hâc in parte convenit, quantum fieri potest sine justâ præstet cujusquam querelâ; suadent alii, ut omnium provinciarum sibi subjectarum, fortes & præstantes viros, quos vel famâ notos habeat, eorumque qualitates, speciali consignatos teneat catalogo, quo nimirum vacante aliquo loco officii, eorum memor esse queat. Hi enim qui se contineri hoc libro scient, alaciores erunt, & se opinione Principis sui pares gerere studebunt: iis vero quorum nomina eidem inserta nondum erunt breviario, mille pericula, quo eò perveniant, non fugient. Et cum Princeps excellentem virtutem alicujus commendari audit, post condignam informationem sapienter faciet,

faciet, si hunc clarâ voce suo manuali adscriptum pronuntiet. *Dn. Præs. 2. Polit. cap. 4. nu. 34. vers. 2. Bornit. h. lib. 1. cap. 4. Herm. Latherus de cens. lib. 1. c. 14. nu. 5. Et vide Commin. cum lib. 1. de rebus gest. Ludov. XI. cap. 10.*

134. Vlterius alii progrediuntur, & suadent (sicque persuasum scio utiliter, summo cuidam Principi) ut inter omnes ministros quendam indolis præstanti, prudentiâ singulari, personarum, rerum, locorumque exquisitâ cognitione, & gratia denique apud omnes præcellentem seligat, eique hanc solùm committat curam, ut quinam ex universo subditorum numero sua sint contenti sorte, qui minus, studiosè perquirat. Cum enim beneficia Principum ab humana procedant potentiâ, impossibile est ut immodicas aliorum æquare possint unquam prætensiones, sicque fit ut in Regnis etiam moderatissimis semper aliquid desideretur; idque aut ob imaginariam quandam oppressionem (quisquis etenim peculiare querimoniis suis in proprio cerebro constituit tribunal) aut repulsam, despectum, expeditionum moras, fallacias, invidiam, arrogantiam & ambitionem, nimiisque affectibus obnoxiam eorum censuram, qui Principali præ aliis frui cernuntur gratia. Et quia nemo queribundis imperare, principatumve suum vacillare desiderat, hac ratione compertis iis qui aliquid sibi existimant deberi, odium devitare singulorum, multis occurrere turbis, Statumque suum omni ex parte reddere potest firmiorem.

No ay torre fuerte dada sobre azogue, que tanto bambalee, como Reyno de descontentos. Perez en su car. prim. pag. 75.

135. Verè igitur verum & Politicum, omnique exceptione majoribus exemplis comprobatum Bodini est monitum, Principibus beneficiorum ac præmiorum suorum gratiâ, carius nihil esse debere; quam si domesticorum fraudibus sibi extorqueri patiantur, verendum esse ut Imperium tandem, aut certè Imperii fructum omnem amittant. Hocque arcanis Rerumpub. optimo annumerat jure, Camman. *disp. de Majest. 5. Th. 15.* Unde etiam est, quod ita ægrè apud Tacitum Tiberius tulit de Junio Gallione, qui censuerat, ut prætoriani, auctis stipendiis jus adipiscerentur in 14. ordinibus sedendi; adeoque ipsum vehementer per literas increpavit: *quid illi cum militibus, quos neq; dicta Imperatoria, neq; præmia, nisi ab Imperatore, accipere par esset?* Quò nec minus illud seditiosorum militum apud eund. Tacitum *lib. 1. Annal.* respicit, dum, *novum*, inquiunt, *id plane esse, quod Imperator sola militis commoda ad senatum reiiciat: eundem ergo senatum consulendum, quoties supplicia aut præmia indicantur. an præmia sub domino, pœnas sine arbitrio esse?* Inde quoque in eâdem Rep. ad Populi olim favorem, Magistratuum constitutio spectabat: & Lex Valeria, sacrum esse cum bonis caput ejus jussit, qui Imperium nisi à Populo habere.

Lib. 5. de Rep. cap. 4. p. m. 858.

V. Clapmar. de Arcan. Rerūp. lib. 3. cap. 6.

Livius. 2. Dyon. Halicarnass. lib. 5.

habere. Adveniente autem Principatu, ad curam Principis Magistratuum creatio pertinebat. *l.* 1. §. 1. *ad L. Iul. Ambit.* Id quod maxuma pars muneris imperatorii, vocatur à Zonorâ. *Dn. Præs. lib.* 1. *Polit. cap.* 3. *nu.* 9.

136. Arcendi ergo sunt ab aulâ, qui Principum gratiam pro re suâ, privato vendunt lucello. Species enim lucri est, ex alieno largiri, & beneficii sibi adquirere debitorem. *l.* 54. §. 1. *de furtis.* Quâ ratione Alexander Severus, optimus Imperator, cum invenisset Vetronium Thurinum familiarem suum, & in causis ab utraque parte accepisse, cùm venderet eventus, & ab omnibus, qui aut Præposituras aut provincias acceperant; eum ad stipitem ligari præcepit, & fumo appositò, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri jusserat, ne cavit, Præcone dicente: sic fumo pereat, qui vendidit fumum. Ejusdem generis alium fumi venditorem nomine Zoticum, describit Menoch. *arbitr. lib.* 2. *cas.* 344. *nu.* 3. Is Heliogabali abutens familiaritate, egrediens ab illo, singulos audivit, dicens, de te hoc locutus sum, de te hoc audivi, de te hoc futurũ est: ut sunt homines hujusmodi, qui si admissi fuerint ad nimiam familiaritatem principum, famâ solùm non malorum, sed & bonorẽ principum vendunt. Hos autem Zoticos puniendos esse pœnâ arbitrariâ, docet idem Menoch. *d. l. nu.* 7. *& seqq.*

137. Iisque si non deteriores, haud absimiles tamen illi sunt, qui quidquid aliis cedit, sibi detractum existimantes, lividam propensæ Principis gratiæ, obiiciunt sæpè invidiam. Nullus enim tantæ superbiæ fastidio tumidus esse debet, ut regalem contemnat sensum. *l. fin. in pr. C. de LL.* Et odia saltem restringi, favores vero convenit ampliari. *cap. odia. de* R. I. *in* 6. Sacrilegiique instar est, divinis super quibusdam administrationibus vel dignitatibus promulgandis, obviare beneficiis. *l.* 5 *C. de divers. rescript.*

QUARE TRIBUENDA?

Hyppol. à Collib. in Principe. c. 5.

138. Præterquam enim quod generaliter, nihil tam est Principis proprium, quam beneficentia & liberalitas. *l.* 23. *in pr. C. de Nuptiis, Bl. in l. & in legatis. C. ad L. Falcid.* Veluti marmor etiam illud in Trajani foro Romæ repertum, quod hæc continuisse ferunt verba, *Potentissima dos in principe, liberalitas atq; clementia,* innuit: ad æquam præmiorum quoque tenetur largitionem, & naturali illâ obligatione, quæ ut loquitur Br. *in l.* 5. *de I. & I. nu.* 11. non est redacta in præceptis juris, sed merè in cordibus laicorum stat, *l.* 25. §. *consuluit. de heredit. petit.* & illâ, quâ (ut inquit JCtus *in l. cum amplius.* §. 1. *de* R. I.) quem Jure Gentium dare oportet. Sufficere autem aliquid ex naturali Justitiâ firmari, docet. *l. scire.* 13. §. *si enim.* 7. *de excusat. tut.* & facit. *l.* 2. *ff. unde cognati.* Cum enim legum conditores æquitatis conveniat esse fautores. *l.* 8. *C. de Pactis.* Injuriam facere meritò dicuntur, si denegent quod Jus & æquitas dari suadet. *l.* 1. §. *pen. de aquâ quot.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [80] - 76

quot. & est. Atqui æquum omnino est, laborem cujusque dignâ remuneratione compensari. *iuxta l. fin. §. similiter. C. de alluvionib. cap. cum secundum. de præb. & dignitat.*

119. Nec impedit, quod Jure vel Actione præmia extorquere non possumus; utiin specie de privilegiis docet Speculat. *in tit. de dispensat. §. generæ autem. vers. licet autem.* Nam sic & meliori de Ecclesia debetur Episcopatus; *cap. licet 8. quæst. 1. cap. 2. de offic. custod.* nec tamen eum petere ideo potest. *cap. sicut 10. 1. quæst. 6.* Sicut & panis, quem avarus detinet, est egentium, illi tamen nullam habent actionem ad illum petendum: *cap. sicut ii. Distinct. 47. & V. Tiraq. de Nobil. cap. 20. nu. 56. & seq. Wesemb. in Parat. de donat. in pr.* Vltrò enim bonus Princeps beneficia merentibus tribuit; *ut in l. Imperialis. 23. §. similes. C. de Nuptiis. l. penult. C. de Off. Rect. provin. l. 9. §. penult. de Off. Proconsul.*

Le più subblime dignitadi, da Prencipi buoni, altrui si danno per obbligo, ancorche da modesti ministri si riconoscano dalla cortese liberalità del Signor loro. Boccal. cent. 2. Ragg. 27.

140. Et licuit tum illum, qui ad dandum se sentit obligatum, importunitas petentium offendit, tardioremque reddit; *Francisc. Senens. lib. 9. tit. 17. de Regn. & Reg. instit. Ad. Keller. de Off. Iuridicop. lib. 3. cap. 4.* tùm grave etiam viro ingenuo est & probo, molestè petere, quod virtute meritus est; ita sufficit Principi, benè quempiam fecisse, seròque dedisse, videtur sibi, roganti cum dedit. Haud quippe ignorat, propriam hominum virtute præditorum loquelam, bona opera esse; satisque eum petere, qui tacet quidem, sed benè interim servit: cum, facto loqui, linguarum omnium excellentissima sit & efficacissima. Vtque jucundus est cuivis, honos ultrò datus, gratiusque donum, quod venit ante preces; è contra vero, *El que pide, paga lo que rescibe*, h. e. is qui petit, solvit id quod accipit: ita bonus, justus, prudens Magistratus, admonitiones & supplicationes non expectat, sed

V. Machiav. de bello Florent. lib. 6. ubi de Nicolao Piccinino.

El dar es honor, y el pedir dolor.

Assai domanda chi ben serve & tace.

Los impensados favores, despiertan y encienden los mas tibios y descuidados pechos. Hist. de Pers. y Stgism.

Si quos præclarum aliquid laudisq; superbæ
Commeminit gessisse manu, regaliter illos
Appellans, memorem factorum quemq; suorum
Efficit, & sese memorem simul indicat esse:
Munificaq; manu meritis benè, munera magna
Erogat. &c. Gunth. in Ligur. lib. 10. vers. 5. & seqq.

Aureis scribenda literis sunt verba, *in cap. 1. de donat.* Hanc sibi quodammodo Nobilitas legem imponit, ut debere se quod sponte tribuit, existimet; & nisi in beneficiis suis creverit, nihil se præstitisse putet.

141. Sed extant etiam quæ ad idem impellunt, expressæ Principum constitutiones. *l. & virtutum. 5. C. de Stat. & imagin.* ibi, virtutum præmia tribui merentibus convenit. *l. semper. 5. §. 3.* ibi, remuneranda pericula & hor-

& hortanda præmiis. *ff. de Iure immunit. l. 1. C. de Adsessor.* ubi spe præmiorum & honorificentiâ, alios provocandos rescribitur. *l. 1. ibi*, religiosa solicitudo ad augendam provocandamque fidei observationem, Juris præmio adfici debet. C. *ex quibus causis servi pro præm.* Et bonos non tantum metu pœnarum, sed & præmiorum exhortatione efficere oportet. *l. 1. §. 1. de I. & I.* Donis siquidem & gratiis, *Petr. de Anchor. in clem. un. §. nos itaq; in f. de reliq. & vener. sanct.* blandimentis & honoribus, *cap. qui sincera. 45. Dist. cap. quam pio. 1. quæst. 2. notatur in l. 4. ff de inoff. testam.* ac muneribus, quis invitatur ad bonum. *Chassan. in catal. Gl. mundi. part 1. consid. 10. in f. arg. l. medicus. 6. in f. C. de profess. & med. cap. ninium. cum. c. seq. & c. penult. 23. quæst. 4. c. non vos. circa pr. 23. quæst. 5.*

Este es de los premios de animos liberales, obligar con un favor a muchos. Perez en sus cart. prim. pag. 111.

142. Quemadmodum enim gubernator navis, si fluctus videat solum, nusquam è portu scaphâ digreditur, sed ipsam præ fluctibus utilitatem commodumque si metiatur, tum demum audacter immenso credit pelago; & miles vulnera cædesque si consideret saltem, non induit thoracem; si vero triumphos præ vulneribus, victoriasque, tanquam ad pratum currit ad prælium: ita si quis rebus civilibus præmia proponeret ob insignem armaturam, ob ordinis observationem, ob rem equestrem, ob fortitudinem militarem, ob justitiam in commerciis; consentaneum esset, futurum, ut etiam hæc omnia per contentionem acriter exercerentur. Et ut summatim dicam (inquit Simonides, *apud Xenophont. in Hier.*) si in omnibus perspicuum esset, non carituram honore, si quis boni alicujus auctor extiterit, multos hoc etiam impelleret, ut studiosè boni aliquid investigarent. Iam si multis commoda Reip. curæ sint, necesse est magis aliquid inveniri, & hominum studia excitari. Quæ enim naturâ gravia, levia fiunt, cum non labores, sed ipsos laborum cogitamus fructus: spesque præmii laboris est solatium. Quare, omnia præmiorum maximè fuco tegenda sunt, ne initiorum acerbitas, desiccata ingenia deterreat. §. *fin. & ibi Dn. Harppr. nu. 1. in proœm. Instit. iuncto. §. his igitur. Inst. de I. & I.*

Les Princes qui veulent estre bien servis, doivent tousiours faire voir la qualité du service, par celle de la recompense. Ael. Seian. de P. Matth. p. 245

Euph. Lusin.

143. Adde quod integritatis & industriæ pretio, non acuuntur solùm similes, sed & dissimiles alliciuntur. *d. l. 5. §. 3. de Iure immun. l. ult. C. de his qui sponte pub. mun. sub.* & præmia bonorum malorumque, bonos ac malos faciunt. Unde; cujus rei præmium sit in civitate, eam maximis semper auctibus crescere; sic pace bonos, sic bello fieri, pulcherrimè Consules Romani apud Tit. Livium concionantur. Et Pericles, apud quos maxima proponantur virtutis præmia, in eorum Rep. viros ait esse præstantissimos. Cum nou ibi consistant exempla, unde cœperunt, sed quamlibet in

V. Botero della ragion di stato. lib. 1. pag. 24.

Lib. 4. Histor.

Thucydid. lib. 2.

libet in tenuem recepta tramitem, latissimè evagandi sibi viam faciant; nec quisquam sibi putet turpe, quod alii fuit fructuosum. Sic cùm grata erga Horatii & C. Mutii virtutem, Civitas fuisset, illique statua in comitiis posita, & agri quantum unâ die circumaraverat, datum; huic vero ager itidem trans Tyberim donodatus, ita honoratâ virtute, fœminæ quoque ad publica decora excitatæ. Non enim ad rationem, ad similitudinem vivimus, nec est homo satis, quem aliena non movent. Pauci prudentiâ, honesta à deterioribus, utilia à noxiis discernunt: plures aliorum eventis docentur. Et pauci adeò valent ingenio, ut non turpe honestumque, prout benè ac secus cessit, expetant, fugiantve. Cæteri, ubi laboris merces inertiæ, vigilantiæ, somno; frugalitatis, luxuriæ datur; eadem ista quibus alios artibus assecutos vident, consectantur, qualesque sunt illi, tales esse & videri volunt, & dum volunt, fiunt.

Liv. lib 2.

Tacit. 4. Annal.

Plin. in Panegyr.

144. Hinc liquet rectè olim Marcum Marcellum, ædes Honori atque Virtuti gemellas, junctim ita locasse; Vt ad Honorem non nisi per Virtutis Templum aditus pateret, ne Reip. qui præsunt, ullâ corrumpi ratione judicia sua patiantur, ac quod virtuti debetur nequitiæ tribuentes, virulentâ eam civium animis imprimant commendatione. Præmia igitur & privilegia, non nisi digni atque merentes consequi, *l. 58. C. de Decurion. l. un. C. de Metrop. Beryt. l. 7. C. de diverſ. offic. lib. 12. l. 2. §. 3. ff. ad Vellei an. l. si sine. 5. C. eod. Zas. conſ. 2. nu. 13.* collatoresque beneficiorum indignis prætermissis, idoneos assumere debent *cap. grave. de Præbend.* Ita ut propter labores multos, mores castos, actus strenuos, dubitare nemo possit, quin celsioris loci præmium alicui debeatur *c. miramur. §. meritò. Dist. 61. cap. 1 in pr. de reliq. & ven. sanct. in 6. cap. 3. de Elect. in Extravag. commun.* Beneficium quippe merita præsupponere videtur. *l. 9. & ibi Br. ff. pro socio. Eberh. à Weih. in aulic. polit. reg. 619. latè Ioſ. Nolden. de Nobil. concl. 22.*

QUIBUS?

145. Unde non injuriâ dubitari potest, An stante statuto ut certum quendam capiens bannitum, accipiat centum; si Judex vel præfectus rerum capitaliũ illius loci, cui facinorosorum officii ratione sedula incumbit pervestigatio, eum vel ipse vel per officiales suos in potestatem redigat, præmium illud propositum accipere debeat? Et quamvis verba statuti generaliter loquentia, generaliter quoque videantur intelligenda: *iuxta Gl. generalia. in l. 1. ff. quæ in fraud. cred. Gl. conventus. in Nov. 18. cap. 10. per tex. in l. 15. §. de cæteris. de damn. infect.* Rectè tamen eum nihil meruisse, Br. judicare videtur, *in l. 3. §. utrum. de Silan.* Cui Bl. quoq; accedit *ibi, & in l. genero. ff. de his qui not. inf.* Non enim sponte ipsum cepit, sed ex necessitate sui officii, quod est, purgare provinciam malis hominibus: *l. 13. de*

Off. Præsidis. ergò præmium consequi non debet. *per d. l. 3. §. utrum. de Silan.* Quia coactè aliquid agens, illo dignus non censetur. *Mascar. de Probat. vol. 1. concl. 5. nu. 21.* Ad hæc, generalis dispositio non refertur ad ea, de quibus circa eandem causam specialiter est provisum. *l. Stichus. 20. de alim. & cibar. leg. Gl. ex generali. in d. l. is. §. de cæteris. de damno inf.* Atqui Præfecto illi, certo salario, quod in specie pro exercitio sui officii accipit, provisum est: ita ut statutum præmians, de ipso loqui non sit verisimile, nisi expressè id ipsum contineat. *Bald. in l. 3. C. de oper. lib.* Quæ omnia tamen eum à petione tantum hujus præmii excludunt; non autem, quod & aliàs pro laudabiliter gesto munere præmia nulla capere debeat, inferunt.

146. Vicissim vero illud expeditum est, personis vilibus & infamibus, portas dignitatum patulas esse non debere, *iuxta legitimas sanctiones c. infamibus. de R. I. in 6. cap. inter dilectos. de Excess. Prælat. c. cum. dilectus. de Elect.* Nam uti Reip. noceret, qui pœnam immerenti infligeret: *l. absentem. 5. in pr. ff. de Pœnis. l. sancimus. 22. C. eod.* ita & qui immerenti præmium concederet, Reip. nocuisse, vix est ut non videatur. *Phil. Decius, cons. 114. Paul. Castrens. in l. omnes pop. inf. de I. & I. Vasq. lib. 1. Controv. 35. nu. 2.* Dignitates enim si in improbum ceciderint, quæ incendia flammis Aetnæ eructantibus, quod diluvium tantas strages dederit? inquit Boët. *de consol. philos. 2. pr. 6.* Sanè quemadmodum si in aliquam domum Vespillones intrant, certissimum funeris id est signum: sic & Reip. collabentis; ad cujus præcipua munera homines vitiis dediti adhibentur, & cum primatibus optimi, qui Deo pessimi, vicissim vero rejecti, qui illi electi. *Lips. 2. de Constant. 16. Dn. Præses de consil. Polit. Axiom. 30.* Idem namque honor bonos meliorat, & malos pejorat. Unde etiam Princeps non præsumitur velle dispensare & promovere odiosos, & multipliciter criminosos. *Lancellot. Conrad. l. 1. cap. 1. §. 4. nu. fin. de præstant. & potent. Imperat. Arn. de Reyger, in thesaur. Iur. §. Princeps. nu. 138.* Quamvis aliàs cum indignis moribus, & defectu haud ita magni præjudicii, in dubio dispensasse creditur. *l. quidam. 57. in f. de re iudic. l. 2. C. de crim. sacrileg. V. Arn. de Reyg. d. l. nu. 56. & 78. Tiraq. de Nobil. cap. 6. nu 25.*

Comme les injures rẽdent les gens de bien plus hommes de bien; aussi tousiours les courtoisies que les meschants reçoivent, les rẽdent encores plus meschants.

147. In genere ergo præmium quis habere non debet, unde pœnam meretur. *l. 26. §. 1. de Testam. mil. l. 7. §. fin. de interd. & releg. l. 22. in f. de negot. gest. l. 10. §. 1. Vbi Bl. Zas. & Gothofr. in not. ff. soluto matrim. Gl. in l. 6. §. Athletæ. de Excusat. tut. Sicq; intelligitur etiam Gl. in cap. licet. Ext. de probat.* Aclicet ex eodem facto, consequi quem utrumque posse, disertis affirmet verbis Gl. *in l. decreto. 10. de suspect. tut. & in l. 8. §. scribit. 9. de Excus.* Rectius tamen id negare videtur Gl. *fin. in l. ne quis officialium. 38. C. de Decurion.*

Decurion. per tex. ibi & Gl. un. in cap. ex transmissâ. Ext. de decimis. Br. ad l. sive hereditaria. 22. de Neg. gest. V. Dyn. in d. l. decreto. de susp. tut. & in cap. quod ad gratiam. in f. de R. I. in 6.

148. In specie vero, præmiis provocandi non sunt calumniatores, sycophantæ; & qui his haud multum existunt absimiles, delatores cæteri: genus hominum, ut inquit Tacitus, publico exitio repertum, nec pœnis unquam satis coërcitum. Quamvis enim per præmia olim elicerentur, ita ut aut pro Judicum arbitrio, ea ipsis tribuenda fuerint; *l. 5. in f. de Iniur.* aut pro ut lege ipsâ definita erant. *l. 25. de SCto Silan.* Cujus rei complura adhucdum extant in jure vestigia. Sic enim quarta adjudicatur pars delatori juris alieni, quod vulgare dicitur præmium. *l. 13. §. extat. de iure fisci. Cuiac. 19. obs. 3.* Sic tertiam percipit portionem gravatus tacitè de restituendo non capaci, si ipsum fidei commissarium congruo præveniat tempore. *d. l. 13. §. cum ante. l. un. C. de his qui se def.* Quòd idem præmium ex SCto Sillan. consequitur, qui adversus edictum Prætoris tabulas Testimenti aperientem indicat. Si scil. populari actione in heredes ex Edicto in centum agat aureos: *l. 25. in f. de SCto Sillan.* aliàs enim si tanquam heredibus indignis, fisco simpliciter ex hâc causâ hereditatem deferat, non nisi vulgare eum capere præmium, rectè Cujacius notare videtur, *d. loco.* Lege item Juliâ de ambitu damnatus, si alium ejusdem criminis reum convicerit, in integrum restituitur. *l. un. §. 2. de L. Iul. amb. Cuiac. 7. obs. 28.* Quo etiam exemplo, transfugæ alios transfugas indicanti, posse parci, Divus Hadrianus rescripsit. *l. 5. in f. de Re milit.* ac desertorum accusatoribus pro modo patrimonii, immunitas præmii loco conceditur. *l. 1. C. de desert. lib. 12.* Quâ ratione, quasi turpi quæstu quodam abutentes, ad calumnias prorumpebant. *l. 8. de Accusation. Gothofr. ad l. 2. de Iure Fisci.*

149. Quoniam tamen longi temporis manifestior edocuit usus, homines ejusmodi improbo nimiùm inhiantes lucro, debitam integritatem nunquàm præstare, sed ad id tantùm prodesse, ut Principes ad sævitiam & injustitiam impellentes, multis sæpè innocentibus, capitis creent periculum; unde Impp. etiam maximum eos indigitant vitæ humanæ malũ. *l. 1. & 10. C. Theod. de petit. & ultro dat.* Boni ideoque Principes, quod ex cujusque patrimonio ceciderit in casum, & legibus & recto juris ordine fisci advocatis agentibus, vindicari voluerunt; infame vero hoc & pernitiosum genus hominũ, aversati sunt meritò, omnemque deferendi ita amputantes licentiam, gravissimis id subjecerunt pœnis. *l. 5. & tot. tit. C. de Delat. lib. 10.* Et ne Exemplo res careat, Tiberius qui multum illis antea faverat, omnes qui inter delatores præcipui erant, unâ die occidi

jussit: Titus omnes Vrbe expulit: Aurelianus uti erat alioquin severus, quadruplatores & delatores ingenti severitate persecutus est: Trajanus Cæsar omnes in navibus, maris & scopulorum periculis objectos, sine remis & velis, naufragio exposuit. Sicut Dio Cassius, Xiphilinus, Flavius Vopiscus, & Plin. in Panegyr. Trajan. testantur. Ac memorabilis est Domitiani vox apud Sueton. Princeps qui delatores non castigat, irritat.

150. Quod tamen subaudiendum haud est de iis, qui non ut præmium consequantur, sed suam patriæque quò defendant causam, delationes suscipiunt; quorumque etsi non obtinuerint, non propterea læditur fama. *l. 2. in. pr. l. 44. de Iure fisci. l. 4. C. de delat. l. 9. C. ex quibus causis infam. irrog.* Nec de eo qui antequam causa ejus ad ærarium deferatur, capere sibi non licere, ipse profitetur. *l. 13. §. 1. de Iure fisci.* cum potius confiteri de Jure suo, quàm aliud deferre videatur, *d. l. 13. §. cum ante. 7.* Aut qui devotionis suæ ac salutis pub. curam gerens, quæ per famosum libellum persequenda putaverit, ore proprio edicit. *l. un. C. de fam. libell.* Multò minus eo, qui læsæ Majestatis reum indicat, quique in delatione si vincat, octavam partem bonorum delati, etiamnum hodiè accipit. *l. fin. §. hæc. 7. C. de delat. l. 1. & 2. C. de falsa moneta. l. quisquis. in f. C. ad l. Iul. Maiest.* Hi enim omnes ac singuli, turpe & injuriosum delatoris nomen, *l. 3. C. de Iniur.* illisque solùm qui invidiâ alios produnt, competens, *c. delatori 5. quæst. 6.* non merentur, sed juris potius gaudere debent præmio. Quo etiam referendi, parique cum illis jure censendi sunt, casus supra Num. 16. & 17. enumerati, quibus servos pro præmio libertatem assequi, dictum.

151. Ejusdem ferè cum Delatoribus generis sunt Proditores, qui Dominorum Principumve, aliis perfidè detegunt negotia, propriamque auro vendunt Patriam. Quamvis enim rem plerunque præstent gratissimam, & vicissim nihil tam sit Principis, quam data semel servare verba; utpote summa cujus cæteroquin potestas, duo nihilominus sepimenta habet, internè Conscientiam, externè Pudorem. Quia tamen non oportet laudando augeri militiam; *l. 1. §. 4. de servo corrupto.* Caroli IV. haud improbare queo factū, qui Philippo Austriæ Duci * bellum inferens, tribus ex ipsius Ducibus magnâ æris promissione, ut fugam Principi suaderent corruptis, id optatum cum res sortitâ esset effectum, adulterinum persolvi jussit, facto nempe & operi simile. Vt nec Sabinorum illud apud Livium, qui Sp. Tarpeij filiæ, ob arcis Romanæ factam proditionem, ingeniosâ persolverunt morte promissa; conicientes quippè in eam magnâ vi, pactum sceleris præmium, armillas sc. omnemque manuum sinistra-

De promessas de Reyes, ellos mismos han de ser testigos y jueces. Porque no ay tribunal adonde llamar los, sino al de la vergueça. Perez. Aphor. 80.

* *Crantz. lib. 9. cap. 37.*

ministrarum ornatum, atque ita ut M. Varro refert, scuta etiam, eandem protinus enecarunt.

152. Et Hispanorum sanè quantumlibet ferant in hoc consistere vel maximè astutiam, ut nullis parcentes sumptibus, fidos aliorum corrumpant ministros, aureisq; eos sibi devinciant nexibus: uti eâ de re inprimis conquestus sæpè est Henr. Magnus Galliæ Rex; notatu tamen digna est à Collegio Judicum (quod mensam conscientiæ Lusitani indigitant) adversum eos lata sententia, qui post sedulam Regi Philippo II. ad faciliorem Regni Portugaliæ occupationem navatam operam, à Regiis promissum Legatis, postularant pretium: cujus sequentia ex Josepho Texerâ, Camerar. *cent. 1. medit. cap. 1.* recitat verba. Cum Rex Philippus, sit verus heres Regni Lusitanici, non licuit supplicantibus idipsum vendere donis vel pollicitationibus; quin potius incurrerunt pœnam capitis, eò quod ultrò & citra hæc promissa, Regnum ipsi Philippo Regi non tradiderint: sin vero Regnum ad Antonium pertineret, eos id Regi vendere non potuisse. Quare Rex Philippus nullo modo obligatur promissis, quæ Legati sive Agentes supplicantibus fecerant; verum benignitate ac clementiâ suâ utens, absolvit supplicantes à capitali pœnâ, cui hâc de re se fecerunt obnoxios. Parile si omnibus ejusdem farinæ sperandum foret præmium, cum absque lucri spe scelesta nemo perpetret, nefariæ etiam sat hinc inde metuendæ haud essent proditiones. *Mercure François tom. 1. p. 34.*

153. Jure meritò etiam gladiatorum cruenta ab Impp. Christianis, penitus sunt sublata spectacula. *l. un. C. de Gladiat. lib. 11.* Qui tamen olim crudelitatis suæ præmia accipiebant, palmam & pecuniam. *Lipsi. lib. 2. Saturn. cap. 23.* Alia Athletarum est & erat ratio, qui ad delectationem populi olim pugnantes, præmia ac immunitatem à Rep. meritò consequebantur. *l. un. C. de Athletis. Gl. in l. commodis. de Re Iudic.* Ipsi enim virtutis solùm gratiâ id faciebant; *l. Athletas. 4. de his qui not. infam.* non quæstus causâ in certamina descendebant, ut infamiâ notari potuerint. *l. 2. in f. ff. eod.*

154. Pessimè item collocantur præmia, cum tam danti, quam accipienti indignitatem adferunt. Qualia sunt strenuis quæ conceduntur potatoribus, mimis, scurris, fœdarum ministris libidinum, nocentissimis adulatoribus, ac aliis Reip. quâcunque ratione perniciosis. Eos enim Principes, hujusmodi qui sibi admovent magnique faciunt homines, in quibus tamen præclari relucet nihil, præter insigne quoddam & nobile vitium, propriam turpiter negligere famam, gravissimisque se onerare suspicionibus, prudentiores omnes judicant: vulgus quippe à consortio

Principis excluſus, talem credit, quales familiares. Qui ſi boni ſunt, Principem bonum; ſint ii mali, malum eſſe cenſet. *Dn. Præſ. de conſil. Polit. Ax. 31. & ſeqq. ac de Aerar. cap. 2. §. 3. nu. 2.* Et proverbio dicitur, facile ex miniſterio Dominum agnoſci; Princepsque præſumitur id ſcire, quod ſciunt ſui officiales. *Lancellot. Conrad. lib. 1. cap. 1. §. 3. de Obligat. Imperat. nu. 5.*

Quando la graça de los Rejes cae en ſubjectos dignos, mas es gloria ſuya, que graça, por ſaber eſcoger. Ant. Perez.

Tales igitur provehere, & familiares ſibi reddere illum decet, ut quoties Proceres ac Conſiliarii ejus ab exteris conſpiciuntur, toties recta judicia eum habuiſſe prædicetur. Hancque in ſententiam graviter Baſilius Imperator, ad filium. A Reip. muneribus (inquit) perditos ac ſceleratos homines extorres eſſe jube, neque ullam Imperii tui partem illis committe, ne & ipſe ſimilis eis eſſe, ac improbis eorum factis gaudere videaris: nam quæcunque mala illi perpetraverint, eorum cauſas tibi adſcribent, teque perverſæ eorum voluntatis participem eſſe, judicabunt. Et quod gravius eſt, ſcelerum ab illis commiſſorum rationem, Deo te reddere oportebit: perditorum enim hominum promotio, certa condemnatio eſt eorum, qui illos provexerunt, & ſcelera illorum facta illis attribuuntur, qui eos promoverunt. Vide ergo ut bonos viros ad honores & munera publica promoveas, ut bona de factis eorum fama, gloriam tuam augeat, cùm ſubjecti præclara eorum geſta tibi adſcripturi ſint. *Hactenus Imperator.* Operam det pius Magiſtratus, ut jactare cum regio poſſit Prophetâ; odiſſe ſe prævaricationes; non adhærere ſibi cor pravum, & malignum non cognoſcere ſe: ſed perſequi detrahentem proximo ſuo ſecretò, nec ferre poſſe eos, qui oculis ſuperbis & inſatiabili ſunt corde. Sint oculi ipſius ad fideles terræ, ut ſedeant cum ipſo; ambulantes in viâ immaculatâ, hi miniſtrent illi &c.

Pſalm. 101. Verſ. 3. & ſeqq.

155. Hos tales ut reperiat Princeps, non ſtudiis privatis, nec commendationi aut præcibus ſtet paucorum: ſed aut ipſe noſcat ſi poſſit; aut tangat ad lapidem illum Lydium communis famæ. Singuli enim decipere & decipi poſſunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt. *Lipſ. 3. Polit. cap. 4. nu. 8. & ſeq.* Moſque ideo Alexandri Severi, in uſum qui revocetur, digniſſimus eſt. Quem enim ad honores ampliſſimos, & Provinciarum gubernacula provehere cupiebat, ejus nomen programmate publico pervulgabat, ut de anteacta vitâ inquireretur, pœnâ tamen capitali calumniatoribus decretâ. Inprimis verò caveat Princeps, præmia pœnaſve decernat, cum aut gaudii aut tædii exceſſus animum occupat; ne vel ullum ex merâ promoveat gratiâ, merove deprimat odio. Quâ de re etiam Carolum IX. Galliæ Regem Petr. Ronſardus (*in Regiâ inſtitutione, Tomo 9. operum ſuorum inſertâ.*) prudenter monet; dum ait,

Tacit. in Agricol.

Plin. in Panegyr.

Vida de M. Aurel. pag. 210.

Ne pouſſez

Ne poussez par faveur un homme en dignité,
Mais choisissez celuy qui l'a bien merité.

Legionum nomẽ (inquit * Vegetius) in exercitu permanet hodieque; sed per negligentiam superiorem temporum, robur infractum est; cum virtutis præmia occuparet ambitio, & per gratiam promoverentur milites, qui promoveri consueverant per laborem. Non minus igitur rectè quàm masculè & eleganter modo dictus Ronsardus, sub personâ Guisii Ducis, Metim defendentis;

Nul n' aura par mes mains recompense ny prix,
Si son lieu le premier sur la breſche il n'a pris,
Fust il beau comme un Ange, & par dessus la trope
Apparust il horrible en un corps de Cyclope:
Surmontast il au cours le vent Threicien,
Et de riches tresors le grand Roy Phrygien,
Eust il le bras de Mars, la langue de Mercure:
Et se fust le Ciel & toute la Nature
Empeschez, pour le faire accomply de tout poinct,
S' il n' est brave au combat, ie ne l' estime point.

Virtuti enim meritisque cedere omnia debent, nec honoris augmentum ambitione, sed labore convenit ad unumquemque devenire. *l. contra publ. 14. C. de re milit. l. 1. C. de agent. in reb. l. fin. C. de Tyron. l. 1. C. de Assessor. cum concordant.* Ita ut ex meâ Principis gratiâ nobilitatum, pro vero nobili agnoscere, vix & ne vix quidem possimus: tum quia Nobilitas non opinione, sed veritate niti debet; tum quia Princeps solâ gratiâ suâ non magis ex talibus Nobiles, quàm ex stultis sapientes facere potest, ut scribit Obrecht. *de Regal. tit. 4. thes. 10. Petr. Fritze de Nobil. civ. concl. 9.*

156. Quod autem sola Principis gratia præstare non debet, multo minus ob paucorum, affinitate forsan, aut muneribus occæcatorum Consiliariorum commendationem, tribuendum. Virtute ambire oportet non favitoribus. Nec tam perpendenda hîc merita eorum qui intercedunt, quam illius pro quo interceditur: sicuti enim Princeps, illorum aliâ ratione potis est pensare servitia; ita inprimis consideret oportet, quemnam in usu habiturus sit: ipsiusque de dignitate si dubitet saltem, melius esse sciat, officiis & administrationibus non peccaturos præficere, quam damnare cum peccârint. Sanè ubi nullo habito respectu eorum qui de Rep. benè sentiunt, honores ac virtutum præmia solis potentum clientibus & cognatis, ac quibus ii favent, conferuntur; malos ibi prævalere, & omnium vitiorum januam patere, censendum est. *Dn. Præs. de cons. Polit. Ax. 40.*

* *Lib. II. de re milit. cap. 3.*

Quien no es mas de otro, no merece mas que otro; y quien no save, no vale. M Aurel.

Tom. 8. lib. 1.

L'oprar virtuosamente, prepor si deve ad ogn' altro humano interesse. Boccal. cent. 2. Ragg. 27.

Tacit. in Agric.

Ax. 40. & seqq. Non est illud consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen. *can. miramur. Dist. 61.*

157. Eliminandæ porrò sunt omnes præmiorum & officiorum publicorum nundinationes, ut juxta Impp. constitutionem, omnes quibus honores commissi fuerint, jurati inter gesta sincerè deponere queant; se pro administrationibus sortiendis neque dedisse quidpiam, neque daturos unquam postmodum fore, sive per se, sive per interpositam personam. &c. *l. fin. C. ad L. Iul. de ambitu. Adde Nov. 8. cap. 1. &c.* Difficilimè enim fieri potest, ut quæ multo comparantur auro, sine auro reddantur; & quod aversione emptum fuit, non singillatim postea vendatur. *Dn. Lansius de L. Regiâ th. penult. Latè Dn. Præs. in tract. de Aerar. cap. 6. nu. 4.* Unde etiam ementes officia malè omnia agere præsumuntur. *Paris de Puteo in tract. de Syndicat (qui insertus est vol. 2. T.T.) tit. de offic. Syndic. vers. dicitur. nu. 2. fol. 95.* An autem etsi velit, vendere ea tamen possit Princeps? multifariam disputant, Barthol. de las casas. *d. tract. Vtr. subditi alterius dit. subiici poss. §. 14. & seqq.* & Vasquius *lib. 1. controv. cap. 42. & seq. V. etiam Wesemb. in Parat. ad L. Iul. Amb. nu. 5.* Eò certè haud secus ac ad alia extraordinaria remedia ærario exhausto, interdum devenitur: ac utcunque ob legis nescium necessitatem admittendum videatur; *Vasq. d. cap. 43. nu. 6. & 7. Bodin. lib. 6. de Rep. 2. p. m. 1018. Bornit. de Aerar. lib. 2. cap. 6.* aliud tamen & turpissimum est, ubi à Jovialibus pullis hastarum quasi solennitate, distrahuntur, & plus offerenti addicuntur. *Nov. 8. cap. 7.* Hoc etenim admisso, quid salvum reliquum erit? fides & probitas evertentur hâc peste: quæ omnia venalia habere edocet, & Principum socios fures facit, ac efficit ut unusquisque amet munus. *Dn. Præs. lib. 1. Polit. cap. 4. nu. 10. vers. 3.*

158. Breviter; illa tantum Resp. Bonorum administrationi commissa omnique ex parte salva censenda, in quâ emitur solâ virtute potestas. Ast sicut non omnis fert omnia tellus, nec omnia possumus omnes, ita rarenter ullam cernas Remp. quæ suis contenta civibus, non exterorum quandoque mutuetur ac adoptet quasi virtutem; quibus ut clavum concredere incivile, & non cum exiguo esse junctum periculo, facile omnes judicant: ita vicissim eosdem à velo remisque arcere sine ullo discrimine, irrationabilem potius pertinaciam, quàm prudentem Status redolere Maximam, multi censent. Cum mille præsertim sese offerre queant casus, quorum Princeps vel Resp. intuitu, malit extraneum potius (hoc est extra territorium suum in vitam productum) quàm gentilẽ, certi cujusdam negotii adhibere expeditioni. Horum autem sententia, an & quatenus admittenda videatur, nunc discipiendum venit.

159. Sanè

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [90] - 86

159. Sanè quin Magistratus & munia eminentiora civibus assignentur jure meritò, nullus in dubium revocare debet & nemo: Politicumque fuit ac singulare olim, quod in provinciis nulli Patriæ suæ administratio, sine speciali permissu Principis, concessa fuit; uti peculiaris eâ de re extat in Codice titulus, cui concordant *l. fin. C. de crim. sacril. & l. 38. Ex quibus causis maiores.* Quemadmodum & Fiscale nemo in patriâ suâ officium administrare, vel Præsidi adsidere ultra quatuor menses potuit. *l. 10. de Adsess. l. 1. C. Theod. eod.* Cujus abolitæ dudum constitutionis rationes assignant, Paul. *lib. 5. Sent. 12. §. 5.* & Gl. *add. tit. C. ut nulli patriæ suæ administr. ubi Cuiac. quoque in Parat. & Goth. in notis.* Quibus si aliam insuper addere licet, hæc esto; quod Provincias suas, Legibus & magistratibus propriis spoliatas voluerunt Romani; quorum propterea Status, illarum respectu, Monarchicus fuit. Ut verum & firmum interim quod Aristoteles alicubi infit, maneat; Tyrannorum nempe non Regum esse, peregrinos civibus præferre, ad mensam vocare, Reip. custodes efficere.

V. Dn. Præsidem lib. 1. Polit. cap. 11. n. 9.

160. Hic tamen duo sequentia animadvertenda putarem. I. Civem non nasci solùm, sed & fieri, *l. 7. C. de Incolis. l. 1. & hinc inde. ff. ad Municipalem.* Unde Dd. tradunt, subditum quem dicialtero de duobus modis, naturaliter & per accidens: illo modo quem dicunt esse subditum ratione originis, hoc ratione domicilii vel servitii, vel aliâ de causa. *Bl. in l. nec causas. C. de Appell. Panorm. in c. cum olim. de re Iudic. Socin. Iun. consil. 36. n. 8. volum. 3. Menoch. consil. 331. n. 79. lib. 4.* Peregrinum è contra, qui nec originis adquiescit Imperio, nec sese aliis dedit, aut cum dedere vult, repulsam patitur. *V. post Bodin. in method. hist. Vult. lib. 1. Iurispr. 6. & 9.* Ac sic cum Cicerone *lib. 2. de LL.* Patria & illa dicenda ubi nati, & ea quâ excepti sumus. II. Haud absre quandoque esse Status, si qui ei præest, exterarum quoque gentium homines, in Aulâ tamen potius quàm ad latus, nutriat. Idque non tam ob eiusdem splendorem, & Magnificentiæ famam, Amorisque sibi apud longè dissitos quoque populos comparandi gratiâ; quàm ut ubique locorum commodos nanciscatur amicos, quorum propensa voluntas, sua juvet suffulciatve justa desideria: ac insuper præstò sint semper, eò qui ablegari queant, viri diversarum linguarum & consuetudinum, tum quoque morum ingeniorumve experientiâ & cognitione præstantes. Quod vel Jacobi Carcanii Nobilis Castellani, in Portugalliâ apud Antonium Regem cubicularii supremi partes quondam obeuntis, illustre commendat exemplum. *de quo V. Conestagg. de Portugal. & Cast. coniunctione, lib. 6. p. m. 334. & sequentib.*

Príncipes de grandes pensamientos, buscan maestros y marineros de otros mares, mas que el suyo. Perez. p. 12.

161. Quibus totidem sunt consectanea, I. Sortem non esse puniendam

La Virtud al estraño haga natural, y el Vicio al natural torne en estraño. M. Aurel. in Princ. Ioan Animor. Imph. cap 3.

nascendi, hoc est, jis queis cognatione nos Natura junxit, *l. ut vim. de I. & F.* non adeò omnem esse adimendam dignitatum spem, ut etiam in Civitatem adlecti, ejusdem fruiscinequeant jure. Sanè unum eundemque tam eâ in Civitate, quæ Civem eum genuit, quàm in illâ quæ excepit, ad munera & honores vocari posse, Papinianus innuit, *in l. 15. in f. ff. ad Municipalem.* Et valdè hoc nomine à Doctiss. Barclaio commendatur Gallia, quod nempe candido simplicique amore virtutis, eximios viros undiquaque prodierint, sine invidiâ miretur, & suâ opulentiâ gaudeat augeri: ac in tantæ humanitatis præmium, habere ait, pub. primùm laudem, tum etiâ tot hospitum fortunam & famam, qui Gallico corpori non indignâ aut inutili adoptione, inserti sint. II. Eos populos, qui omnia præter sua, abhorrent nauseabundi, nullisq; nisi patriis sese conformare norunt ingeniis, aut qui tandem ex privilegio peregrinos admittere (*ingeniosissimè Dn. Præs. lib. 2. Polit. c. 3. §. 6.*) non coguntur; nihil non intentatum relinquere debere, ut earum artium, scientiarum, & linguarum prudenti proprios eruditant liberos notitiâ, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur: ac sic nõ modò & sincero erga Patriam adfectu, & præclustrium virtutum experientiæque laude nulli cedentes, spes eos pulcherrima foveat, Patriam Remp. in partibus ejus sibi credendis gubernari; sed etiam benevolentiâ sic comparatâ aliorum, quantum pia jubet fidelitas, & ibi posse iuvari. Hacque in parte tinctorum si sapiunt imitabuntur exemplum, qui non in unum jurant colorem, sed qualis quocunque tempore oculis magis arrideat populi, dispiciunt, opinionique se sic conformant hominum: ita certæ cuidam semel receptæ institutioni, & unico artium disciplinarumve generi, non tantâ insistendum pertinaciâ, quin pro re natâ seculique facie, mutentur quandoque & abrogentur.

162. Generaliter autem cavendum. I. Ne purior periclitetur ullo modo Religio. II. Ne leges violentur fundamentales, aut Genio innata gentis, consuetudo. III. Ne pro salubri consilio, pestilens introducatur luxus, vitiorumve aliorum pernitiosissima colluvies. IV. Prægnantius negotium, peregrino ne facilè mancipetur soli. Et alia incommoda, quæ vigilans ac pius prævidere, prudensque avertere feliciter novit Magistratus.

163. Duplici ergò sic existente eiusdem Reip. cive, Naturali nimirum & nuper adlecto, quorum tamen neuter virtute ac fide meritisque in Rempub. alteri cedere videtur: si de conferendo honesto quodam agatur officio, anne hic nativitatis suæ: pœnas luere, ille vero tantam sortiri ortus sui debet prærogativam, ut ipsi simpliciter sit anteponendus, quæstionis est neutiquam otiosæ? Et quamvis naturâ ferè omnes sic erga conterraneos

raneos, ac posteritatem inprimis, affecti simus, ut quod è re ipsorum, promotum velimus omni modo; charitate tamen inspectâ Christianâ, & eo quod quis alibi idem sibi contingere vellet, iis quæ supra dicta, præsuppositis, responderem breviter: Animum non patriam æstimandam; vel cum JCto *in l. 3. in f. de Naturalibus liber.* Magistratum non minus novis, quàm antiquis civibus favere debere. *Vide omnino Dn. Præsid. de Consil. Polit. Ax. 200. & aliquot seqq. ubi multa ex limpido prudentiæ rectæq; rationis fonte, in hanc eandem ferè suadet sententiam.*

164. Cætera vero virtutis quod attinet præmia, quæ non tam in Reipub. administratione, quàm munerum consistunt largitione; quin ea ad exteros quoq; qui vel amicitiâ vel fœdere nobis juncti, opem præstant & auxilium, aut patriam nostram aliâ quacunque ratione salvam cupientes, benè de eâ consiliis suis merentur, meritò transeant, nullum est dubiũ. Hinc frequentes illæ inter Principes & annuæ ut plurimum donationes; quæ ad ministros quoque & consiliarios (illorum utpote non raro flectentium corda) emanare prudenter debent. Favor enim, favore alitur, nec quidquam esse Reip. potest utilius, tum ob mutuum auxilium, tum commerciorum etiam libertatem, quàm cum vicinis aut non ita longè dissitis populis, amicitiam colere, eamque honoribus & præmiis promereri. *Bornit. h. lib. 1. cap. 13.* Acuti arbor multis peregrinantibus dulcis præbens escam fructus, longè lateque laudatur: sic Principis in peregrinos collati favores, augustiorem ipsius reddunt gloriam.

165. Interim tamen & illud tenendum, præmia non præmia esse, sine discrimine passim si vulgentur. Honor enim cui debent excellentiora committi, sui numerositate vilescit. *cap. Episcopalia. de privileg.* Rarum è contra est, omne quod magnum est. *can. si officia. Dist. 59.* Et quod rarum est plus appetitur. *can. legimus. Dist. 93.*

QUA RATIONE DISTRIBUENDA? L'honneur est un privilege, qui tire sa principale essence de la rareté. Martial. lib. 4. ad Prudent.

Rara iuvant: venit primis sic gloria pomis;
Hybernæ pretium sic meruere rosæ.

Ita jus Civitatis à Corinthiorum delatum legatis, pro summo libens acceptavit Magnus Alexander honore, cum nemini, quàm sibi & Herculi datum unquam, intellexisset. Eoque Tiberius respexit, dum Dolabellæ petenti abnuit triumphalia, Sejano tribuens, næ Blæsi avunculi eius laus obsoleseceret. Quo rarior etenim honos est, hoc glorioſior: vanescit è contra, quum donatur pluribus. Unde Tiercelinus, antiqui moris in Galliâ Eques, mordaci dicterio indignabundus sæpius dicebat: Torquem Conchyliatum, postquam indignis promiscuè communicare cœpisset, non jam esse fortium virorum insigne, sed omnium bestiarum collare. *Thuan. 23. fol. 469.*

Tacit. 4. Annal.

fol. 469, Dn. Præses lib. 2. Polit. 2. num 12. Ut rectè & prudenter incomparabilis suadeat Montanus, licet plures eo ipso ordine hodiè reperirentur digni quàm olim, non tamen largiore eum concedendum liberalitate, longeque esse consultius, in defectu peccare, quam morem Reip. tantoperè salutarem, per abusum contemptibilem reddere, & planè perdere. *Aucun homme de coeur* (inquit) *ne daigne s'advantager, de ce qu'il a de commun avec plusieurs.* Nam quemadmodum arbor, excelsos quamvis tendens ad æthera ramos, mirabundo haud spectatur oculo, integra quum aliis eiusdem proceritatis referta est sylva: sic cui malus est nemo, quis bonus esse potest.

Au 2. des Essais chap 7.

166. Conferat igitur Princeps virtutis præmia, non ad subrepentiũ preces, sed cautissimè, parcissimè, cũ causa, ut ait Garsias, *de Nobil. gl. 1. §. 1. n. 20.* per modam virtutis: *Alex. R. audens. decis. Pisan. 40. n. 369.* meritorumq; contemplatione. *l. 3. C. de sec. nuptiis. l. eum qui. 58. C. de Decurion. l. 1. C. de agent. in reb. l. fin. C. de Tyronibus.* Præmio periculum par, par periculo præmium sit (Donatio enim facta ob benè merita, in eo, quod valor rei donatæ excedit quantitatem benemeritorum, remuneratoria non censetur; *ut docet Ar. Pinel. in l. 1. par. 3. n. 62. C. de bon. mater. Socin. Sen. in cons. 295. vol. 2. Tiraq. in l. si unquam. in verbo. donatione largitus. n. 80. C de revoc. donat. Menoch. cons. 112. num. 13. vol. 2.*) Et ita quidem, ut cunctis gloriæ atque honoris campus, queis virtus, pateat; nec ullus frustretur suo præmio labor. Dum enim nullum fastiditur genus, in quo eniteret virtus, crevit Imperium Romanum; *ut ait Livius lib. 4.*

V. Illust. Enenck. de privil. I. C. lib. 1. c. 10. n. 2.

No mal sin pena, ni bien sin galardon.

167. Ea tamen suo ubivis honoranda modo, non promiscuè; sed personarum circumstantiarumque haud perfunctoria habenda est ratio: ita ut majora majoribus, mediis media, minoribus minora, pro accipientis conferantur dignitate; sicque Geometricâ similitudine, cum æqualitate Arithmeticâ convenienter temperatâ, dulcis oriatur Symphonia, quæ animos civium discordi suaviter jungens concordiæ nexu, Harmonica dicitur proportio. Eiusque exemplum Bodinus è Repub. Romanâ suppeditat. Partâ, inquit, victoriâ, Consuli triumphus, Legatis consulatus, Tribunis militum Præturæ, Centurionibus Tribunatus, equitibus equi, torques; cæteris militibus spolia, & uti quisque se præclarè gesserit dona decernuntur. Item in Magistratibus ac Imperiis tribuendis, Patricio consulatus, Plebeio tribunatus detur. Quod proportionis est Geometricæ; si tamen (subnectit idem) plebeii hominis tanta est virtus, ut cæteris omnibus facilè præstet, summis honoribus perfrui debet; ut lege Canulejâ cautum est, ad seditiones Patriciorum & plebejorum componendas. Quod proportionis

Lib. 5. de Rep. cap. 4. p. m. 854. & seq.

portionis est Harmonicæ. *De quâ vid. eund. Bodin. lib. 6. de Rep. c. ult. L' apologie de René Herpin, p. m. 9. & seqq.*

168. Quam visi igitur dignitatum illibatus sit servandus ordo, & illustribus alia, alia Nobilibus, Plebeiis denique alia congruant; ac magnates, si viles sibi & infimæ sortis homines, præter modum, æquiparari, præmiaque quæ ipsi promeriti, aliis communicari cernant, odio & vindicta adversus Principem aut Remp. vix abstineant. Uti moderni id & frequentes Galliæ motus abundè testantur. Unicum tamen Reip. corpus, in duas contradistinctas non ita debet secari partes, quin ab unâ ad alteram quandoque detur ex causâ regressus: nisi eundem quem Romani antiquitus avemus incurrere errorem; qui cum lege 12. Tab. (quæ patriciorum cum plebeiis connubia vetabant) cives à civium complexu & caritate divellerent, pernitiosissimis civitatem everterunt seditionibus, quæ abrogatâ connubiali illâ lege, de repentè conquieverunt. *Bod. lib 6. c. ult. p. 1172.*

Il pretendere che un Cortegiano alquale il Prencipe con la semitara delle scorteſie taglia le gambe, velocemente pessa correre nel suo buon servigio, cosi e pazzia grande, come senza giudicio alcuno e quegli: che per meglio incitar il cavallo al corso, gli tira la briglia. Boccal. cent. 1. Ragg 10.

169. Quàm iniquum enim sit, plebeium iisdem coruscum virtutibus, queis Nobilitatem aliorum adepti sunt parentes, ab omni Nobilium dignitate & consortio contumeliosè repelli, quis non vel parum sanus videt? Sanè si magna eiusmodi viri virtus, meritum Nobilis superet aut adæquet, ad eosdem cum ipso honoris gradus eum evehendum, ratio Harmonica desiderat, & instituta Rerump. comprobant. Memorabile est, quod de Carolo Magno, Aventinus *4. Annal. Boior.* & Henr. Mutius *8. de rebus Germ.* referunt. Illum cum Lutetiæ, Scholam ibidem àse fundatam ingressus, periculum studiorum facere discentes jussisset, deprehensisseque, tenuiores ac pauperes præter spem profecisse, Nobiles vero cultum animi neglexisse; illis ad dextram segregatis: Vos quidem macti virtute, dixisse, filioli pientissimi, qui nostro Imperio gnaviter defuncti estis. Vestri erunt maximi Episcopatus, vos in Aulam adsciscam, ex vobis senatores cooptabo, vos in Album Prætorum & patrum Curiæ adlegam, &c. Hocque idipsum est, quod rescripto Divi Marci continetur, & JCtus refert *in l. 11. §. 1. de Mun. & honor.* Etsi lege municipali caveatur, ut præferrentur in honoribus certæ conditionis homines, attamen hoc observandum tum esse, si idonei sint. Nam scientia ubi requiritur, ea si desit, minimè per nobilitatem suppletur. *Bald. in l. in dando. 18. per illum text. ff. de tut. & cur. dat. ab his. Tiraquel. de Nobil. cap. 5. num. 9. & seqq.* Lutherus ait; **Gott will nicht haben/ daß geborne Könige/ Fürsten/ Herrn vnd Adel/ allein regieren/ vnd Herrn sein solen/ Er wil auch seine Bettler darbey haben: Sie dächten sunst die Edle Geburt mach allein Herrn vnd Regenten/ vnd nicht Gott allein.** *Videomnino Dn. Præs. de cons. Polit. Ax. 218. & seqq. & lib. 2. Polit. 3. num. 7.*

In Psalm. 113.

170. Modicè ergo confundi Geometricæ & Arithmeticæ proportionis ratio debet, ut suavissima inter honores Nobilium & plebejorum exoriatur harmonia. *Born. h. lib. 1. cap. 2.* Quare autem pro merito procedere quandoque non possit Princeps, & proportionis cogatur quasi negligere æquitatem, Trajanus Boccalini Politicus summus, sagacissimo nobis prodidit discursu: *Cent. 1. Ragg. 32.* qui Patriæ nostræ, laudatissimâ magni alicuius Ingenii concessus operâ, cum aliis eiusdem Authoris, per gratas omnium versatur manus. Eandemque ferè in sententiam, consilium extat à Carolo V. Imperatore, Philippo II. Hispaniarum Regi communicatum, cujus hæc potest esse summa. Quod cum nemo absq; præmii spe, nullam præstet operam, & Duces Comites, aliique illustri orti stemmate, eâ jam polleant dignitate, ut ad maius nihil, quàm Regiæ partem coronæ adspirare queant; non nisi illis eos honorandos esse muneribus, quæ dum circa ipsam Regis personam occupata sunt, magnam quidem favoris & confidentiæ speciem, potentiæ vero nihil habent: hocque medio effecturum Principem, non tantum ut & comitatus eius magnificentior semper futurus sit, & nulla magnatibus altiora merendi, sese offerat occasio; sed etiam omnes eorum factiosos disturbaturum conatus. E contra vero, provincias maioris ponderis, potentissimorumque exercituum imperia, illis esse concredenda, qui nihil neque divinæ neque humanæ opis prætermittentes, suam ut virtute propriâ illustriorem reddant fortunam; ad id tamen solùm honoris fastigium, quo ipse alios dotavit ortus, conscendere satagunt, nec unquam competitores sui existunt Regis. Præter gloriam autem, quam ex creationis hoc exercitio & manuum suarum opere, habiturus sit Princeps; hoc ipsi exinde proventurum utilitatis, ut firmissimo obligationis nexu ita junctæ sibi Creaturæ, & scipionum senectuti suæ, & fulcrorum successori minorenni præstaturi sint officia fideliter. Hoc prudentissimi Imperatoris arcanum fuit monitum. Idque quam scitè, quantoque cum fructu effectui Magnus Henricus Galliæ Rex nostrâ dederit memoriâ, observasse arbitror haud paucos.

171. Harmoniam autem quam dixi, ingratissimâ offendunt dissonantiâ, qui quod complurium pensare posset servitia, in unum eumque immerentem haud rarò, effusè conferunt: cum tamen Solem Principes imitarier in terris, radiisq; hinc inde sparsis, calore suo accendere, sicque devincire sibi omnium animos deberent. Princeps cum pater sit subditorum, non usque eò in alterius liberorum amorem, effundi debet, ut alterum incommodo afficiat; modò laudatus Imperator cuidam nimium petenti

Marnix sect. 3. Resolut. 2.

perenti, piè & sapienter respondit. Sanè quam primùm nimia hæc inæqualitas animadvertitur, tantum in mediocribus animis invidia, generosis vero indignatio potest, ut res moliri novas, & pullum quò deprimant ipsum offendere Jovem non vereantur; quantosque hæc eadem res excitarit per orbem motus, quot regnorum translationes, statuum quot conversiones, & antiqua & modernaita evincunt exempla, ut prolixâ non sit opus commentatione. *V. Boccal. Cent. 1. Ragg. 10. & 36. in fin. Enenck. de privileg. Iur. Civil. lib. 3. cap. 4. num. 13.* A Philosopho igitur Princeps discat, communem principatus custodiam esse, neminem unum magnum facere; nec permittat unquam, ut uni suorum consiliariorum, liberum sit moderari habenas imperii pro arbitrio. *Schönborner. lib. 3. polit. cap. 19.* Periculosum enim est, privati hominis nomen supra Principis attolli: quod tamen procul dubio contingit, cum qui mentem ipsius pro lubitu flectit solus, officia, immunitates & privilegia, suâ impertit manu: nec quisquam ferè ita abjecti est animi, qui non hunc adorans, Principem tanquam infra servum habentem ingenium, protinus contemnere incipiat; unde tandem non nisi utriusque certissima procedere potest ruina. Latè & eleganter hâc de re, *Dominus Præses, de Consil. Polit. Axiom. 69. & multis sequentib. ut & Polit. lib. 2. cap. 3. num. 19.*

Aristot. 5. Polit. cap. 11.

Tacit. in Agricol.

Tacit. 13. Annal.

172. Occasio hîc quidem esset uberrima, de monstris illis Fortunæ, quæ partim blando volubilis Patronæ adhuc fruuntur aspectu, partim vero exitiosum jam ac triste in immenso vanitatum Pelago, fecerunt naufragium, diversimodè differendi: sed cum sublimis illa materia, non tam Academica quàm ex aulæ mysteriis esse videatur; Benigno lectori in transitu ego hîc, ingentium illorum ingeniorum (vestigia quorum admiror) æternitati consecrata commendare tantum volui scripta. Inprimis autem Aelium Sejanum, Lucinæ beneficio haud ita pridem donatum rursus, ab Illustri Enenckelio; laudatissimam cuius operam, eodem etjam tempore in Gallià susscepit, vir doctissimus, Petrus Matthæus; & addubito an qui illà delectantur linguâ, minus pœnitendum ipsius possint eligere exercitium, dicti lectione libelli; cui materiæ propter affinitatem adjunxit, *Les prosperitez malheureuses d' une femme de Calabre, & la vie du Sieur de Villeroy.* In Italico idiomate habes de eodem argumento plurimos, præsertim vero qui noviter scripserunt, Boterum *della ragion di Stato*, & Trajani Boccalini limatissimos discursus. Sed experto si credere malis, scripta lege Antonii Perezii, Philippo Secundo Hispaniarum Regi, à secretis

Ay monstros de la Fortuna, como de la Naturaleza. Ant. Perez.

à secretis quondam & deliciis: qui vir à fortunâ mirificè divexatus, hoc uno felix fuit, quod ærumnas suas ipse describere, & incomparabilis acumen ingenii, magno posteritatis prodere potuit bono.

173. Sed ut ad scopum nunc redeam. Proportio dicta, non inter solos est observanda accipientes, sed & dantium ea metitur opes ac facultates. Romani ut Horatii Coclitis, qui urbem à direptione, cives ab interitu servarat, inopiam sublevarent, terræ jugerum donaverunt: ingens hoc præmium pro inopiâ Reip. cuius ager omnis quarto ab Urbe lapide patebat. Sed Alexander Magnus, solidas provincias ac talenta innumerabilia largiebatur: qui si aliter faceret contra decus fecisse videretur. Hinc cum Perillus ipsius consiliarius, filiæ suæ petiisset dotem, quinquaginta jussit accipere talenta. Dicente autem Perillo, decem satis esse: tibi (inquit Alexander) accipere, sed mihi nequaquam satis est dare. Pro ratione ergo reditum, ac de suo largiri debet Princeps, sibique ipsi quod dat, detrahere, ut Magnificus revera & liberalis dici mereatur: quod tamen non fit, si minorum possessor facultatum, ditissimum quemque munificentiâ æquare satagens, uni quod largitur, alteri extorqueat; si injustè quærat, quod justè dispensandum putet.

Bodin. 5. de Rep. cap. 4. p. 868.

174. Maximo quidem comes labori, jure merces maxima est; sed non nisi moderata durant: & notum est illud Frontonis ad Imperatorem Cocceium Nervam dicterium; malum esse sub eo Principe vivere, qui nemini quidquam concedat: longè vero peius sub eo, qui omnia omnibus permittat. Dum enim singuli exsatiari nequeunt, Resp. deficit; & alienis bonis manus afferre cogitur: ac tùm in animum nunquam inducere audet, tanta se assequi eorum studia quibus dat, quanta odia eorum, quibus adimit. Princeps igitur ceu scopulum vitet omne quod est nimis; atque adeò nihil largiatur, dum nihil auferat: eò enim rem devenire tandem, necessum est, cum nulla inter reditus observatur & erogationes proportio; ærarium que ambitione & largitionibus immodicis, exhaustum, per scelera suppletur plerunque. *Dn. Præs. lib. 2. Polit. c. 4. n. 5. & 6. Et de Aerar. cap. 2. num. 1. 2. & 3. per tot.*

Tacit. 2. Annal.

Plinius in Paneyr.

175. Temporis insuper non est exigua habenda ratio, & quidem triplex potissimum. I. Ut præmium mox subsequatur merita. Nihil etenim æquè amarum, ac diu pendere; æquiori quidam animo ferunt præcidi spem suam, quam trahi: plerisque autem hoc vitium est, ait Seneca, ambitione prava differendi promissa, ne minor sit rogantium turba; quales Regiæ potentiæ ministri sunt, quos delectat superbiæ suæ longum spectaculum, minusque se judicant posse, nisi diu multumque singulis, quid possint,

Lib. II. de Benef.

sint, ostendant; nihil confestim, nihil semel faciunt; injuriæ illorum præcipites, lenta beneficia sunt. Quare verissimum existima, iste quod Comicus dixit: Quid? tu non intelligis tantum te gratiæ demere, quantum moræ adjicis? Causâ etenim temporis anteferuntur præsentia futuris, quamvis melioribus; *ut docet Gloss. in l. cum hi. 8. in princ. ff. de transaction.* secundum illud: *Aliquid liberter qui facit, citò facit.*

Ova hodiè præstant, quos lux dat crastina pullis:

ita ut etiam bis dare qui citò dat, vulgatissimo judicetur proverbio.

176. Altera temporis consideratio in eo subsistit, ut præmium post exantlatos modò detur labores; non quam primùm suscipiuntur, aut in medio eorum cursu. Privilegium enim datum actui consummato, non debetur ejus initio. *Arg. l. in eo iure. 45. §. hoc caput. ubi Gothofr. ff. de Ritu nupt.* Nisi quæstio de iis forsan sit, *Obra hecha dinero espera. Il premio non a chi commincia, ma a chi dura, si conviene.*

quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Tum enim locum sibi vindicat, vulgò quod dicitur; affundat oleum oportet, cui lucernâ opus: & nudum etiam desiderium præmiis suffulciendum; *Exemplo Apollinis apud Traianum Boccal. cent. 2. Ragg. 14. p. 89.* Cum præsumatur eos benè merituros. *Menoch. lib. 6. præsumpt. 100.* Idque etiamsi certum jam sit, speratum non insequuturum effectum, obtinere nihilominus debet; ne cuiquam labor suus luctuosus evadat. *l. cum oportet. 6. C. de bonis quæ liber.* Wann einer nur sein bestes thut / vnd keinen Fleiß sparet: *ut inquit Adam. Keller. de offic. Iuridicop. lib. 3. cap. 5.*

177. Tertiò attendendum: ne unâ tribuatur vice, sperare quod quis unquam posset; idque ne quum majus nihil quis sibi expectandum putat, alibi quærendi occasionem sumat, aut ad minimum merendi amittat voluntatem: satietas enim capit, aut illum, cum omnia tribuit, aut hunc, cum jam nihil reliquum est quod cupiat. Provideat itaque Princeps, unumquemque secundum labores suos, ad meliores & majores dignitates producere, ut Imperator monet, *in l. 2. §. 9. C. de offic. præf. præt. Afr.* Sed pedetentim: quia honores gradatim conferri oportet, *iuxta regulam ICti in l. 9. & l. 14. §. gerendorum. de Mun. & honor. can. sicut. Dist. 48. facit. l. pen. C. de advoc. div. Iudicum.* Et Martem Gradivum dictum fuisse, Festus scribit, propterea quod gradatim & per ordinem militaria officia distribuenda sint. *V. Scip. Ammirat. lib. 3. disc. 3.* Hincque munera quantumvis parva, non contemnenda, sed gratâ suscipienda mente, ne offerens irritetur, spesque supercilioså & ambitio quem postea fallant. *Marnix. sect. 3. resol. 2.* *Tacit. 3. Annal.* *Qui trop embrasse, mal estreint.*

O mille volte fortunato e mille,

Chi ſa por meta a ſuoi penſieri in tanto,
Che per vana ſperanza immoderata,
Di moderato ben non perde il frutto.

Natura nil magnum voluit citò effici, & ideo tutius eſt, ſenſim ac gradatim ad honores, dignitatesque & magiſtratus magnos, pervenire, quam ſubitò inclareſcere: mediocres enim honores tempore augentur, nimii abolentur; ut ait Plutarchus in Lacon. *Iunius queſt. 9. & 10. Dn. Praſes. lib. 2. Polit. 3. num 11. V. Boccal. cent. 1. Ragg. 5. p. 26.*

DE PRAEMIORUM REVOCATIONE.

178. Sicuti autem de convenienti præmiorum diſtributione, licet haud ſufficienter, pro inſtituti tamen ratione ſatis dictum hactenus; ita de eorum ademptione illud breviter adnotandum duxi. Quod utcunque donationes alias remuneratoriæ, ob ipſam quoque ingratitudinem irrevocabiles ſint *l. ſi pater. 34. §. 1. de Donat. Iaſ. in l. ſi non ſortem. 26. §. libertus. 12. ff. de condict indeb. Iul. Clarus. qu. 3. & qu. 23. Schneidew. ad §. ſciendum. n. 11. de donat.* Si inprimis de meritis expreſsè conſtet. *Vt in l. Aquilius. 27. ff. eod. latè Menoch. conſil. 112. vol. 2. num. 28. & ſeq.* Illud tamen in publicâ hâc præmiorum materiâ regulariter vel ideo procedere haud poſſe; quod ingratitudo erga Remp. aut Principem, ſine crimine læſæ Majeſtatis admitti vix poſſit; quo tamen caſu, non donata ſaltem, ſed omnia confiſcari bona, expediti juris eſt. *l. ult. ff. ad l. Iul. Maieſt. l. quiſquis. 5. in fin. princ. C. eod. cum ſimil. latè Dn. Bocerus in tract. de crim. Maieſt. cap. 3.* Sic ob ingratitudinem eiuſmodi, Doctor degradari; *Ripa in l. fin. num. 10. C. de revoc. donat. Felin. in c. ex literis. num. 5. de conſtit.* clericus beneficio ſpoliari, *cap. ult. & ibi Dd. de poſtul. Matth. Afflictus in c. 1. §. fin. num. 106. quibus modis feud. amittant.* & feudo vaſallus privari poteſt; *Dd. quos allegat L. Schrad. in tractat. feud. part. 9. cap. 9. num. 9. & 10. Gail. lib. 2. obſer. 157.* Aliaque amittuntur privilegia; *uti videre potes apud Illuſtr. Enenk. de privileg. I. Civilis. lib. 3. cap. 17.*

EPILOGUS.

179. Nunc, ubi quid Principem quid Remp. in remuneratione Bonorum obſervare expediat, more inter ſtudioſos conſueto, liberè & ſine præjudicio dictum; mihimetipſi hoc ego præſcriptum, Amicorum vero memoriæ amicè commendatum volo: Principes, perſonas utpote ſacratas, neque facto offendendos, neque verbis pro vario affectuum noſtrorum turbido dictamine, ſub cenſuræ incudem temerè revocandos; ita ut honorum præmiorum ve diſtributiones, aut alia eorum facta, ſi iniqua nobis aut ſine ratione eſſe videantur, aſpernemur protinus.

Princi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [100] - 96

Principibus enim consideranda sunt multa, quæ hominibus privatis ne quidem in mentem veniunt; & ideo rationem licet nos nullam perspiciamus, quare suprema munera huic concredantur vel illi, existimandum tamen, eos nunquam non æquitati convenientissima, & Reip. salutaria statuere; multorumque consiliis ac sapientia subnixos, oculorum aciem longius nobis emittere. Multa sanè legibus ac moribus introducta sunt, quorum veram rationem sæpè pauci non raro nulli, assequuntur, illa tamen pro jure amplectimur & veneramur. Non omnium enim quæ constituta sunt, ratio reddi potest, *ut ait l. 20. de LL.* Quemadmodum autem rationes eorum inquirere vetat *l. seq. ibid.* ne multa quæ certa sunt, subvertantur: Ita sacrilegii etiam instar est, disputare de Principali judicio, & an dignus sit officio, quem elegerit Princeps. *l. 3. C. de crim. sacrileg.* Per dignitatem enim quam quis à Principe obtinuit, omnis macula civilis interdictionis aboletur. *l. 23. §. similes 4. C. de Nuptiis V. Arn de Reyger. in thes. I. ad verb. Princeps. num 78.* Hincque Marcus Terentius Eques Romanus, quod ex familiaribus Ælii Sejani fuerit, post supplicium ab eo sumptum, à Tiberio accusatus, masculè in hanc respondit sententiam. Non est nostrum æstimare, quem supra cæteros, & quibus de causis extollas. Tibi summum rerum judicium Dii dedere, nobis obsequii gloria relicta est. Et paulò pòst. Abditos Principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere inlicitum. Quodque majus est, nec ipsa quidem patens rei veritas, imprudentiam excusat eorum, qui Principum actiones censuræ suæ inconsideranter subjiciunt. Scriptum enim simpliciter est: Honorificate Regem. 1. Petri 2 vers. 17. ad Roman. 13. vers. 7. Et sicuti piam eruditionem Generosissimi (heu) quondam Herois, Georg. Acatii Enenkelii, nescio quo lætiori adfectu submissè veneratus sum semper, ita hanc eandem fere in sententiam quæ graviter & piè admodum scribit, animo meo infixa nunquam non hærebunt firmiter. Verba autem ipsius hæc inter alia sunt. Quod si vel errore aliquo vel malo consilio, vel calore alicuius affectus, vel simili casu, Princeps injustum aliquid designet, & huc aliumve contra jus fasque lædat: etiam hic modestè à civibus agi velim, nec Principis vel judicium vel autoritatem elevari. Autoritatis enim & dignitatis sui Principis conservandæ causa, vitam quoque bonos cives & sanguinem quandoque profundere videmus: quid non ergo de jure tuo & rebus parumper cedere, quam Principi populi tui maledicere, manumque in Christum Domini mittere, malis? Cum præsertim plurimæ sint viæ, quibus & jus tuum & rem recuperare, non imminutâ Principis majestate

Tacit. lib. 6. Annal.

La Geritén' excuse pas l'imprudence, qui porte inconsidérément la censure sur les grands. P. Matthieu.

De prud. I. Civ. lib. 3. c. 9. num. fin.

& potestate, facillimè possis. Hic æquus ante omnia animus sit necesse est, quem iniqua omnia fronte erecta ferre decet. Proximum & conjunctum illi, preces sunt, ad Regem & Dominum Regum omnium. Hunc ora, ut Principis tui animum mitigare, & in alteram partem vertere & ad agnitionem erroris sui, adducere velit. Interim vel errori, vel iræ Principis spatium dato. Quod enim ratio nequit, sæpè sanavit mora: &c.

Les grandeurs de fortune, ne se trouvent gueres jointes à la suffisance. Où se manca la prudenza, quivi abunda la fortuna.

180. Quod si autem non tam aliorum indigna promotio, quàm proprium meritorum te turbet neglectio, uti raro Fortuna Respondet Mobus, sed ad ludibrium quasi huius vitæ, plerunque & eos erigit, in quibus nihil dignum apparet, & eos pessundat, qui omnibus honoribus dignissimi videntur: animum propterea non esse omnem abiiciendum, aut pejoribus conformandum, memento. Glorioſius quandoque est, his carere honoris symbolis, iis quàm esse condecoratum. Magis honorificum sibi esse, Cato prædicabat, si quæratur ab aliis, cur statua sibi nulla in foro posita, quàm cur posita? In funere Juniæ, Cassii uxoris, M. Bruti sororis, viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, Manlii, Quintii, aliaque eiusdem nobilitatis nomina; sed præfulgebant (inquit Tacitus) Cassius & Brutus, eo ipso quòd effigies eorum non visebantur. Nulla virtus latet, & latuisse, non ipsius est damnum. Veniet qui conditam & seculi sui malignitate compressam dies publicet. Paucis natus est, qui populum ætatis suæ cogitat; multa annorum millia, multa populorum supervenient; ad ea respice. Etiam si omnibus tecum viventibus, silentium livor indixerit; venient qui sine offensâ, sine gratiâ judicent. Si quod est pretium virtutis ex famâ; nec hoc interit: cole illam dum vivis; hanc in sepulchro invenies. Ad nos quidem nihil pertinebit posterorum sermo, tamen etiam non sentientes colet ac frequentabit.

Lib. 2. Annal.

La faleur demonstrée a une force atraclive, qui arrache des bouches & des mains, mesmes de l'ignorant, de l'avare & de l'ingrat, des loüanges & des couronnes. La Noüe disc. 17.

Nunquam stygias fertur ad umbras
Inclyta virtus, vivite fortes
Nec lathæos sæva per amnes,
Vos fata trahent, sed cum summas
Exiget auras consumpta dies,
Iter ad superos gloria pandet.

Ad hæc, si magno es animo, honores infra te judicabis qui te pertinaciter refugiunt, & Fortuna etiam infesta tibi favet. Verberat ea nos & lacerat? patiamur: non est sævitia, certamen est. Neque enim in provectu positi virtutis, diffluere deliciis, & emarcescere voluptate venimus: sed prælium cum omni fortunâ nimis acre conserimus, ne nos aut tristis opprimat, aut jucũda corrumpat, firmis medium viribus occupemus. Non igitur divitiæ nos teneant,

Boët. de consol. philos. lib. 4. pros. 7.

Curæ degeneris vulgi, & amor gravis;
Sed recti decus, & viris
Quæ solet æther dare præmia.

Subducamus hodiernæ ambitioni vitam, virtutibusque incumbamus, & illæ vel incogitantes extollent, vel ipsæ præmium nobis erunt, turbidas omnium partes ex tranquillo spectantibus. Licet etiam sapere sine pompâ, sine invidiâ: & quid laudabilius, inquit Romanæ eloquentiæ flos ille, quàm memoriâ rectè factorum & libertate contentum, negligere humana? si secuta fuerit quæ debet fortuna, gaudebimus: sin minus, ego tamen gaudebo: quamvis qui fuerim, & qui esse potuerim, esse non possim. Ex amentiæ quippe officinâ est:

Euph. Lusin.

Seneca.

Cicero.

Dur. de Pascolo in Aul. Polit. Reg. 169. & seq.

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus:

Illud ex sapientiæ:

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus:
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Horat. carm. lib. 3.

Regium esse cum benefeceris, malè audire, Magnus ille Macedo dixit: & profuit certè multis, ad modicæ sortis cecidisse quietem. Ne superbirent, ne Principes Deum esse cogitarent, ut omnia adversa, non modò æquo, sed forti quoque & elato animo ferrent; Virtuti non rebus secundis confisi, Deum colerent, & aliam vitam superesse statuerent, illustriorque illorum constantia & patientia, cum aliorum infamiâ redderetur; ac in hâc vitâ commissorum peccatorum pœnas sustinerent, & despectores aut irrisores eorum essent, quæ in Mundo, opinionibus quibus ille regitur seducti, admiramur. Quisquis ergo virtutis ardes amore Adolescens amice, Deo fide mecum, quantumque potes terrena relinque: manet spectator desuper cunctorum præscius Deus, visionisque eius præsens semper æternitas, cum nostrorum actuum futurâ qualitate concurrit, bonis præmia, malis supplicia dispensans. Nec frustra sunt in Deo positæ spes precesque, quæ cum rectæ sint, inefficaces esse non possunt. Aversare igitur vitia, cole virtutes, ad rectas spes animum subleva, humileis preces in excelsa porrige, & dum terrea hæc nos inter concives detenent hospitia,

Plutarch. in vitâ eius.

Eberh. à Weihe de success. prærogat. H. 8. b.

Boët. de consol. philos. in fin.

Studisi ogn' un giovare altrui, che rade
Volte, il ben far senza il suo premio sia,
Et se pur senza, almen non te ne accade
Morte, ne danno, ne ignominia via.

Ariost. cant. 23.

FINIS. CLARIS-


CLARISSIMO ET MERITISSIMO DOMINO CANDIDATO, &c. AMICO SUO MAGNO, ET in illustri Collegio olim commensali exoptatissimo, attestationem animi hisce deposuit:

NAm pater Ingenium summos tibi gignit honores;
Diva parens Virtus peperit tibi munia digna;
Felici pietas PULCHRÆ *te fine beabit.*
Præmia dat munus, PULCHRAM *dat finis honores.*
Ergò MOCKELI *variæ prosunt tibi sortes.*
Præmia sorte tui scripti collata tulisti.
Quem Genius, Virtus, Pietas dixêre beatum:
Hunc non invidiæ morsus deterret amarus,
Non arrodentes possunt corrodere sortes:
Præmia sed faciunt tandem, ut bona causa triumphet.
Præmia quod tractas primus pleneq́, tulisti,
Grator. Quid restat? Complendi Nestoris anni.

Johannes Hintzius, Belgard. Pomer.


FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [104] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [105] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [106] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [107] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [108] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [109] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [110] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [111] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [112] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 12, [113] - -
PUBLIC DOMAIN